

H Germ IV.
Silesian
Chin C

CHRISTIANI RUNGII,

GYMN. MAGD. VRAT. COLL.

MISCELLANEA
LITERARIA.

DE

Quibusdam ineditis Historiæ
Silesiacæ Scriptoribus ac
Operibus.

OLSNÆ,

Typis Johannis Theophili Straubelii,

ANNO 1712.

12/86

445404



Ex
Hereditate
Steinwehriana



V I R O
Nobilissimo Excellentissimoque
G O T T L O B
K R A N Z I O .
Rei apud Vratislavienses
Scholasticæ
INSPECTORI GRAVISSIMO,
Gymnasii Elifabetani
RECTORI ac PROFESSORI
Celeberrimo,

VIRI
BIBLIOTHECÆ
REHDIGERIANÆ
P R Æ F E C T O
Longe Dignissimo

PATRONO, PRÆCEPTORI, COMPATRI;

Summa observantia venerando

S. P. D.

CHRISTIANUS RHINGIUS.



*** *** ***
Non aliunde Pagellis hisce in-
elegantibus mutuandum e-
rat Decus, circumspiciendumq; Præ-
sidium, quam ab ipso Nominis **TUI**
splendore atque Patrocinio. Con-
fugiunt ad **TE**, **VIR EXCEL-**
LENTISSIME, Studia mea, a quo
derivata quondam sunt: eodemq;
relabi gestiunt, unde profluxerunt.
A TE enim mei, si quicquam in
me

me est, Ingenii vires non excita-
tas modo, sed firmatas etiam, atq̄
subsidiis optimis probe munitas fu-
isse, cum Discentium ad pedes **Tu-**
os pressi subsellia, gratisimus
agnosco, ac æternis prædico Lau-
dibus. Accedit, quod, cum tam
felici mihi esse contigerit, ut **Te**
INSPECTORE ac **DIRECTORE** Rei
apud nos Scholasticæ, munus illud
scholicum sustineam; a veteri illo
Affectu atq̄ve Favore, quoties **Tua**
Ope, **Consiliisque** **Tuis** uti necesse
fuit, nihil unquam **Te** remisisse, sed
cumulasse potius eundem, argumen-
tis expertus sim quam plurimis. Qua-

Pro-


propter **Testimonio** quodam, velut
Hostimento debitus ille in **Te** **Pieta-**
tis **Cultus** declarandus fuit, quo testa-
tior esset animi devincti memoria. **Ac-**
eipe ergo, **VIR EXCELLENTISSI-**
ME, foetum hunc informem impoli-
tumq̄ ea, qua me hætenus complexus,
huncq̄ ipsum typos nondum exper-
tum, lustrare dignatus es, **Benevolen-**
tia, atque patere, ut **Tuo** in **Patroci-**
nio tutus securusque lateat. **Vale.**

Dabam Vratislaviæ, Die XVI. Octobris, Memoriz Galli Abbatis,
scholarumq̄ Patroni, sacro, Anni M. DCC. XII.



Recensentur:

- I. In Præfatione Rhonii Vita & scripta.
- II. Rudolphi Statuta Capituli Vratislaviensis.
- III. Polii Annales Vratislavienses.
- IV. Buckisii Acta Ecclesiastica.



I.

PRÆFATIO,

Godofredi Rhonii Vitam & Scripta recensens.

RHONII Conatus literarios continuaturus, antequam id aggrediar, de Rhonio ipso, ejusque Scriptis nonnihil præfari apud animum constitui. Hunc, si Nominis Celebritas non tantum facultate ingenii, sed nascendi etiam felicitate mætienda sit, & Genere & Scriptis merito suo Nobilem dixerim. Natus enim Anno 1663. Vratislaviæ, Augusta Silesiorum Metropoli, e RHONIORUM familia Patricia, Avum natus est STANISLAUM RHONIUM, Senatorem Urbis, ærarii que præsedum senatorii supremum, qui etiam Germanum suum GEORGIUM eadem dignitate senatoria se præcedentem viderat. Pater GODOFREDUS, inter cives e mercatoribus primarios nomen adeptus, bonæ existimationis tuendæ, uti erat studiosissimus, ita cum Arthritide diuturna colluctatus, obeundis negotiis magis magisque

gisque se sentiebat inhabilem: tandem vero mercimoniis ponderandis a senatu Magnifico præfatus, Zygotaten, quem Libripendem Latini dicunt, extremis vitæ annis egit, denatus Anno 1686. ætatis 63. Mater vero EVA MARIA SIEBENHARIA, marito suo superstes vidua, inter Vratislavienses matronas senectutem vivit honorabilem.

Noster, patri cognominis, quo ijs artibus erudiretur, quibus ætas puerilis ad pietatem humanitatemque informari solet, Elisabetani Gymnasii Præceptoribus traditur, positisque literarum fundamentis, & studiis gravioribus aptus, Anno 1685. Jenam proficiscitur, Prudentiæ Iuris animum ibidem applicaturus. Annum hic vix commoratus, patre orbat, vicem interea parentis gerente avunculo, MARTINO SIEBENHARIO Jcto & Civitatis Olsnensis Consule. Elapso quinquennio rediens, matri solatio futurus, Patriæ se totum mancipabat. Inprimis autem quod a studiis negotiisque fori relinquitur erat tempus Historiæ patriæ accuratius evolvendæ impendit. Hinc, ne actum ageret, neve diceret, quod non dictum sit prius, non proletaria selegit argumenta, aut in trivio, quod dicitur, nata; sed quæ grata utilitate omnibus se commendarent, neque minus essent elegantia, quam crudita. Atque in his non vulgaria præstitisset, nisi mors repentina studii iussisset valedicere. Excessit enim ex hac vita Anno 1694. die 2. Septembris, nondum annos duos & triginta natus.

Scripta quod attinet, primum Anno 1693. typis exprimi curabat *Exercitationem Historicam de Johanneis Vratislaviensibus*, seu Nummis illis Vratislaviensium antiquis, qui ob impressam figuram S. Johannis Baptistæ, vel Capitis ejusdem, Johannei dici meruerunt. In qua rem totam quatuor capitibus absolvit, quorum primo agitur de Johanneis Civibus, a Civitate Vratislaviensi cufis; secundo de Johanneis Episcopalibus, jussu Episcoporum expressis; tertio de Johanneorum valore; & quarto de Usu eorundem, apud Coriarios præcipue

Vra-

Vratislavienses in receptione novorum tribulium. Recensuit eam Tenzenlius in Colloq. menstr. An. 1693. pag. 368. sed hallucinantem Rhonius Scriptis literis meliora edocuit, ut videre est in iisdem Colloquiis pag. 986.

Si autem dicendum, quod res est, Tenzelium non sua culpa errasse, omnibus locum illum inspecturis patebit. Verba enim paulo sunt obscuriora, ita ut lapsus sit facilis, præsertim Historiæ Silesiæ ignaris. Factum inde, ut Maxime Reverendus DEWER DECKIUS, elegantissimi operis Autor doctissimus, dubiis hisce Rhonii verbis suam addiderit conjecturam, & veram, quæque eodem, quo Rhonii collineat sententia. vid. Silesia Numismat. pag. 728. Totus enim vel cardo vertitur in particula IBI, in verbis: *Lilia ibi Posita*: quæ particula non lilia in nummo sub capite Johannis, sed lilia in sigillo Civitatis Nissensis posita respicit, ita ut sensus sit: Lilia in sigillo Civitatis Nissensis denotare oblationem Terræ Nissensis a Jaroslao Episcopatu factam.

Quod autem tria Lilia in scutulo nummi attinet, ea Episcopatus insignia præ se ferre, quod Rhonius contendit, mihi persuadere vix possum, cum tria lilia nunquam Episcopatum designent, sed sex, uti Rhonius ipse exemplis satis superque demonstravit. Ea potius esse reor Nissensis Civitatis insignia, quæ nummum ibi cufum ostendant: namque & illic Episcopi semper habuerunt officinas suas mone-ales. Nissam autem, eo quod urbs primaria sit Episcopatus, etiam Episcopatus insignia, sed dimidiata tantum, accepisse, rectissime conjicit laudatus DEWERDECKIUS. Atque ita particula illa, etiam extendi posset ad Lilia nummi, gerentis insignia Nissensis Urbis, iisdemque donationem Jaroslai probantis: sed alii hæc dijudicent. Jam ex diverticulo in viam.

A 2

Exer-

Exercitationem hanc de Johanneis excipiebant eodem anno *Epistole dua Historice*, & anno sequenti *tertia*, de quibusdam *ineditis Historie Silesiæ Scriptoribus*, in quibus Scriptores illos, seu Opera potius eorundem, quæ vel plane intercidissent, vel intra Bibliothecarum septa latitassent, excussio pulvere, situque deterso, in apricum protulit. Supervacaneum foret Manuscripta illa singula hic repetere, quæ Tenzelius in Colloq. Menstr. Anno 1694. pag. 39. & 970. excerpta dedit, itemque Præfatio Silesiographiæ Renovatæ. Pauca tantum ex iis delibare placet.

In prima Epistola JOHANNIS LONGINI *Chronicon de Episcopis Vratislaviensibus*, rarissimis Historiæ Silesiæ Codicibus accenset Autor, atque quatuor tantum ejus Exemplaria intra Silesiam inveniri dicit, Nissæ, Leubæ, in quodam Archivo, & in Bibliotheca privata. At pluries vel hic Vratislaviæ inveniri, adeoque jam numerum longe auctiorem esse, non negandum, cum vel sola Rehdigeriana Bibliotheca bis librum ostendet, in quorum altero, singulis Episcoporum vitis insignia cujusvis, coloribus suis depicta præfiguntur, cum in modum, quo in Fama posthuma Episcoporum Vratislaviensium, typis expressa, cernuntur. Est autem LONGINUS celeberrimus ille Historiæ Poloniæ Scriptor, qui civibus suis patria lingua DLUGOSSUS audit, cujus Historiæ jam editionem novam, numeris omnibus absolutam habemus, sed cui hæc Episcoporum Historia merito fuisset adjungenda. Notandum vero DLUGOSSUM in Rudolpho finiisse laborem, reliqua ad Johannem VI. ab alia manu accessisse.

NICOLAI HENELII *Silesiam (vel Silesiographiam) Renovatam* cancellos tandem rupisse, & Manuscriptorum e numero abiisse, tabernæ loquuntur librariæ, postquam Reverendissimi Crucigerorum Vratislaviæ Magistri, MICHAELIS JOSEPHI FIBIGERI Scholiis uberri-

uberrimis supata, Anno 1704. in lucem exiit. Utinam vero & *Breslographiæ Renovatæ* tam auspiciatus contigisset natalis, quam ab Eiusdem Illustrissimi Magistri curis hæcenus exspectavimus: sed datam toties in opere præcedenti, hujus quoque edendi fidem, quo minus liberaret, mors oblitit, quæ molientem hæc, Die 12. Januarii, Anni hujus 1712. intra ætatis 55. annum, rebus humanis exemit, cujus Elogium vide in Nova Bibliotheca Lipsiensi (*Bücher-Saal*) Part. XV. pg. 199. Nondum tamen spem omnem operis ejus aliquando videndi decollasse audio, postquam eadem Biblioth. Lips. P. XVII. p. 375. fidem fecit, Virum eruditum, qui Opera FIBIGERI posthuma luci publicæ expositurus sit, jam in eo esse, ut partem eorum prelo subjiciat. An vero in his etiam apparitura sit HENELII *Silesia Togata*, Cedro dignum opus, dies docebit: ex qua Elogia quam plurima Silesiographiæ Renovatæ passim inspersa sunt, unde pragustum aliquem capere, deque toto opere judicium ferre liceat. Obiter hic monendum, incidisse me in aliam quoque Breslographiam Henelii, multo quidem ampliorem edita, Renovatam tamen rerum amplitudine nondum æquantem.

HENRICI WENCESLAI a NEUDORFF *Diarium Silesiticum* suo jam tempore sub prelo sudasse, Rhonius asseruit: cui tamen assertioni non respondit eventus, cum nihil de eo unquam innotuerit. Nec facile sperandum est, quenquam tale quid ausurum, nisi qui in multorum odium incurrere, aut etiam capitis periculum subire velit. Multa geruntur, quæ silere, quam divulgare præstat. Annexerat etiam Catalogum senatorum Vratislaviensium ab ætate Henrici VI. ultimi ex Ducibus Piastæis Vratislaviensium Domini, ab initio nimirum seculi XVI. ad sua tempora. Circumferri alias annis aliquot antiquiorem senatorum seriem, quæ circa annum seculi XIII. septuagesimum vel octogesimum incipit, qualis & in Chronico Frid. Lucæ, sed mendose satis exscripta legitur, non

ignotum est. Illustrem hunc ordinem, a postremis duobus seculis, in Tabulas Chronologicas, privatis usibus inservituras ipse redigere tentavi, eo fere modo, quo Martini HANKII Tabulæ Propagatorum Eruditionis Vratislaviensium concinnatæ sunt: ita ut paucis foliis, uno quasi intuitu, qui singulis annis, ab Anno 1500. ad hæc tempora, sederint ad Clavum nostræ Reipublicæ, conspiciantur: retrocedere autem ulterius, aut ascendere altius, Chronologiæ partim confusio, partim defectus prohibet.

Epistola secunda M. FRIDERICI HOLSTENII *Annales Boleslavienses*, per capita præcipua recensentur, a quibus tamen diversum se Exemplar possidere indicat Plur. Rever. M. GODOFR. BALTH. SCHARFFIUS, V. D. M. apud Schwidnicenses, in scripto: *Neue Andacht betender Kinder in Schlesien* pag. 5. Cujus ut notitiam uberiores ab Eodem aliquando expectamus in vita HOLSTENII illius, quam cum aliorum Theologorum vitis, in Historia Concionatorum Silesiacorum publicandam, eo in scripto pollicitus est: ita viro doctissimo vires ac tempus precamur, ut factum exoptatum, una cum aliis, quos meditatur, conatibus ingenii egregiis, quantocyus atque feliciter tandem edere possit.

In tertia Epistola sermo fuit de FRANCISCI FABRI *Silesia*. Est autem hæc elegantissimum illud Carmen *Sabothi* nomine insigne in quo Autor fata & vicissitudines Silesiæ grandi Cothurno persequitur, sumta inventione a Sabotho monte, in cujus antro Silesia cum Fluminibus convenerit, communemque deploraverit calamitatem. Martinus HANKIUS, de Sabothi montis nominibus loquens, hujus quoque carminis mentionem facit his verbis: „Sabothus nominatur, præter alios, Francisco Fabro, Vratislaviensis Civitatis Secretario: cujus laudatissimum Poema, quo res Silesiæ primarias protulit, ex Manuscriptis antiquissimis, tum aliis, tum Ger.

„Germanicis, quibus præfuit, per IX. annos elaboratum, post „Autoris, Anno 1565. defuncti mortem, apud Basileenses Anno „1592. editum, Sabothus inscribitur. De Silesior. Nominib. „Cap. 5. p. 22. „ Prodierat vero eo loco & anno in Itinerarii Reusneriani editione altera; sed visu tam difficile, ut etiam toties quæsitum, nec tamen inventum, crederetur ineditum. Non Obscure id innuit Præfatio Silesiograph. Renov. (in qua autem Sabothus hic diversum a Silesia Carmen habetur, cum unum sit idemque scriptum) quæ ita habet: *Paucissimi norant, & vix unus hercle aut alter in universa Silesia vidit, ut adeo multi de ipsa impressionis veritate adhuc dubitent.* Postquam vero ab Amico eodemque tum temporis Commilitone, ejus describendi mihi facta erat copia, id deinde repetita vice descriptum Reverendiss. FIBIGERUS nactus est, quod scholiis suis hinc inde interspersit. Sicque Poema illud bis editum, ineditis adhuc annumerandum est; cum in editione hac posteriore non integrum, nec serie continua, sed divulso ordine & per partes insertum legatur: prior autem MSto ipso rarior. Hinc optandum quidem foret, ex præfatione memorata, ut denuo in lucem prodiret, cui etiam rei meum exemplum, cum impresso codice collatum, varisque locis emendatum consecrandum foret; ast cum Poësis latina hoc ævo tantum non ubique in exilium ejiciatur, nec nisi sub tectis scholarum hospitari soleat, ejus nova editio, lucelli parum factura, bibliopolis vix persuadebitur.

Eandem Epistolam claudunt FABRI *Origines Vratislavienses*. Sunt illæ Synopsis quædam omnium Urbis nostræ Privilegiorum, instrumentorumque publicorum a Ducibus, Regibus, Imperatoribusque datorum, juxta annorum seriem, jussu Senatus, ut ipsa docet præfatio, congesta, cui Autor ex Historia Silesiaca quædam præmisit atque immiscuit. Unde vero vel Henelius, vel ex eo Rhonius

Rhonius Originum nomen sumserit; dicere nequeo, in Curia enim vocatur Fabri liber Magnus, uti colligere licet circa finem Operis ex verbis: *Bis hieher gehet Fabri liber Magnus auf dem Rathhause.* Opus est eximium, atque præter Rhdigerianam, Magdalenæam, Neapolitanamque, Bibliothecas Vratislaviæ publicas, in multis etiam privatis passim obvium. Epigramma Autoris apud Rhonium Compendium Operis sistit. Atque hæc sunt, quæ ex Trigainta Epistolarum notanda censui, de reliquis alibi dicendi locus erit.

Præterea Noster etiam *Epistolam Historicam, de promovendo circa Historiam Episcopalem Rei nummarie studio, Historiæ patriæ Amatoribus inscripserat, a quibus opem subsidiaque expetebat.* Utrum vero voti compos factus, opus ipsum aggressus sit, me latet. Inter Schedas defuncti repertum est fragmentum affecti opusculi, *de Prærogativa Canoniorum Vratislaviensium.* Quod argumentum inter cætera demonstratum ivit ex Crucibus Canoniorum de catenula aurea in pectore geri solitis: cujus rei mentionem jam fecerat in Exercitatione de Johanneis Cap. 11. „Hæc scribens, inquit, „certior redditus sum, Canonicis Vratislaviensibus Templi Cathedralis Conventione antiquissima fuisse cautum, ut aureas Cruces „cum Capite Johanneo ex aurea catenula in pectore gererent. „Quem ritum aliquot annis intermissum in Dominica, Lætare „dicta, postliminio ad usum revocarunt, dum Cruces ab Illustris- „simo Decano Venerabilis Capituli, Ferdinando Leopoldo, Duce „Holfatiæ, publicis solennibus consecratis, accepto simul osculo „pacis, coram altari ab eodem gerendas acceperunt: quo eorum „insignis Prærogativa præ cæteris Canonicis, nataliumque splendor luculenter indicatur. „Sacris quoque meditationibus intentus, Odas haud paucas metro vernaculo non infeliciter expressit; quæ MSta vidi. Et hæc molitus erat Rhonius, qui, si fata sivistent, plura scripturus multaq̄ Emendaturus, si superesset, erat. Hujus

Hujus itaque laborem, eruendi MSta, Res Silesiorum illustrantia, neque adhuc edita, meum Facere decrevi. Cum enim viderem, non exiguam superesse Codicum talium copiam, nec ab Excessu Rhonii fuisse, qui e tenebris eos protraxerit, nisi quod strictim quandoque descripti, aut allegati tantum quidam fuerint; operæ me facturum pretium duxi, si ceptam ab eo telam, mente eadem, si non eodem filo pertexerem, atque oblitteratam pene Civis meritissimi memoriam quodammodo suscitarem. Impares me quidem labori huic continuando afferre lacertos, nec iisdem, quibus ille, adminiculis subnixos, haud diffiteor. At vero cum eandem, quam is expertus est, mihi quoque spondeam Humanitatem atque benevolentiam, fore, ut qui locupletiores manu exaratorum codicum, qui ad Silesiorum faciunt Historiam, supellectilem intra forulos suos premant, haud gravatim sua mecum communicent; id operæ in me suscipere, & qualicumque hoc specimine ejus rei periculum facere non dubitavi.

Sed meditantem huc interpellat Bibliotheca Lipsiensis Part. XV. p. 223. referens, Christianum Ezechielem, Illustris Scholæ Berolstadiensis Rectorem bene meritum, Rerumque Silesiacarum scrutatorem indefessum, prelo paratos habere Scriptores Rerum Silesiacarum e MStis erutos, quorum fontibus Curæus, Schickfusius, aliique hortulos suos irrigaverint. Ferias hinc mihi factas, calamumque esse abjiciendum intelligebam, cum idem argumentum à Viro, harum literarum peritissimo, atque MStis lectissimis cumulate instructo, tractari legerem. Verum enim vero non satis constabat, Utrum Scriptores illi, eorundemque scripta, recenseantur tantum, quod quidem hic facere constitui: an integra opera congerantur, adeoque Scriptorum Silesiacorum Corpus quoddam exspectandum sit. Itaque pau-

cas hæc Schedas in publicum exire passus sum, opus interea promissum, nec non Prodromum Silesiæ literatæ, & Tabulam Ducatus Olsnensis Geographicam (quam diversam existimo ab ea, quæ nuper prodiit) cum voto, ut propediem juris fiant publici, præstolaturus.

MISCELLANEA opellam hanc literariam nomino, propterea quod nullo præscripto ordine, MSta argumenti varii, sacri, profani &c. solam tamen Historiam vel Rem Silesiorum literariam Spectantia, percensenda erunt, nonnunquam etiam alia quædam admiscenda, ab instituto tamen non aliena. Cum vero non parum momenti ponendum sit in vitis Autorum, hic, ut saltem generalior tractandi modus appareat, primum omnium solliciti erimus de Autore, cujus vita, quoad ejus notitia haberi poterit, nisi sit Anonymus, breviter erit exponenda; brevius, si ab alio descripta sit. Deinde recensendum MSti argumentum, per capita, si non omnia, tamen præcipua, adductis interdum eam in rem vel ex ipso opere, vel aliunde Testimoniis aut judiciis. Cætera tuo, Lector Candide, examini submissa sunt. Vale.



II. Rudolphi Episcopi Vrat. Statuta Capituli Cathedralis Vra- tislaviensis.

Multos Codex ille Autores habet ex Episcopis Vratislaviensibus, suntque Henricus, Preces laus, Wenceslaus, Conradus, Petrus II. Rudolphus, cujus postremi hic præ cæteris rationem habebimus. Hunc Rudisheima, ex Moguntino territorio oriundum, ingenii facultas felicior, & maxime juris studia ad Episcopale culmen evexerant; postquam ex decretorum Doctore, Romanæ & Rotæ & Cameræ Auditor, postea Pii II. & Pauli II. Pontificum Referendarius tandemque Episcopus in Italia Lavantinus factus erat. Hac dignitate conspicuus Anno 1465. ab Aula Romana ad Bohemiz Polonizque Regna Legatus mittitur, Turbas Hussiticas sub Georgio Podibradio, Bohemorum Rege, exortas compositurus. Hoc dum agit, moritur jodocus, Vratislaviensis Episcopus, cui hic rejecto Premislao, oppaviensium duce, ad S. Crucis ædem Cantore, succedit Anno 1468. manente simul potestate Nuncii Apostolici: ipse vero vita fungitur Vratislaviæ Anno 1482. die 9. Januarii. Plura addereUPERSEDEMUS, cum vita ejus omnium optime descripta legatur in MARTINI HANKII Silesiis alienigenis eruditus Cap. 9. p. 353. ubi etiam Catalogus scriptorum ejus textitur,

B 2 in

in quibus tamen præfens Codex non occurrit: conferendus quoque scholiastes Henclianus Cap. 8. p. 119.

Ut autem constet ratio, cur Codicem hunc Rudolpho adscripserim, ex ipso Operis initio præmonendum cenſeo, moris fuisse ſemper in Eccleſia Vratiſlavienſium Cathedali, ut novi Epifcopi, anteaquam ad gubernationem Eccleſiæ admitterentur, Jure jurando, datisque inſuper literis, omnia Statuta, quæ vocant, Capituli confirmarent. Cumque ab exceſſu Petri II. Epifcopi, Canonici ea manca atque imperfecta viderent, addiderunt alia Statuta, atque a Curia Romana Confirmationem expeterunt. Venit Hieronymus Landus, Archiepiſcopus Cretenſis à Pio. II. miſſus Vratiſlaviam, ut alienatos a Georgio Podibradio Vratiſlavienſes, eidem reconciliaret: quo vero Canonici poſt-habito, aſſenſum ejus non requiſiverunt. Miſſum autem a Paulo II. Rudolphum, idem, ut dixi, in Sileſia, Vratiſlaviæ in primis acturum, adeunt Canonici, utque nova Capituli Statuta una cum veteribus aſſenſu ſuo comprobaret, rogant. Is precibus Canonorum aſſurgens, electus jam, nondum confirmatus Vratiſlavienſium Epifcopus, Codicem hunc Statutorum, paſſim a ſe auſtum, atque etiam immutatum, inſuperque Auctoritate Apoſtolica munitum Anno 1468. die 8. Februarii (electus autem erat die 20. Jannarii) edidit, ſucceſſoribusque ſuis ſanctiſſime obſervandum præſcripſit. Adſcribemus titulos, quibus uſus eſt: „Rudolphus Dei gratia Epifcopus Lavantinenſis ſacro „ſanctæ Apoſtolicæ ſedis ad Bohemiæ Poloniæque Regna, ac cer- „tas Alemanniæ partes cum poteſtate Legati de Latere Legatus „miſſus, Venerabilibus & Circumſpectis Dominis, Præpoſito, „Decano, & Capitulo Eccleſiæ majoris S. Johannis Baptiſtæ „Vrat. Salutem & omne bonum,

In

In quatuor partes Codex iſte diſtingvitur, nempe Statuta, Conſuetudines, Ordinationes & Conduſiones, quorum Capita, ſi enumerarentur omnia, paginas bene multas implerent. Ut quædam adducam, præmiſſis Juramentis Epifcopi & Canonico- rum, multa legas de modo merendi & dandi Reſeſiones ſeu præſentias, quæ & diſtributiones audiunt, de quatuor Capitulis generalibus, de curiis ſeu domibus defunctorum, earumque Taxis, de Legationibus ſuſcipiendis, de anno gratiæ, de ſtudiis Canonico- rum & Stipendiis, de honore ſibi invicem & aliis præſtando, de Sigillo Epifcopali majori, de Prærogativa Præla- torum & Canonico- rum, de eorum veſtitu, Teſtamentis, Executoribus, funeribus, ſepulcris, Epitaphiis, Vigiliis & Exc- quiis, de procuratoribus, Vicariis, Choralibus, aliisque multis: itemque Statutum ac diſpoſitio regendi Eccleſiam vacante ſede. In fine, quod minime prætermittendum, ſequuntur Onera Præ- laturarum, & officia Prælatorum, ubi prolixè agitur.

De Oneribus Epifcopi & ejus Officio.

De Ordinatione Capituli in genere.

De Ordine Prælaturarum & locatione Prælatorum.

De Onere & Officio Præpoſituræ.

De Onere & Officio Decanatus.

De Officio Archi-Diaconi.

De Officio Cantoris.

De Officio Scholaſtici, atque Officiatorum Scholæ.

De Officio Cuſtodis.

De Onere & Officio Cancellariatus.

Notari hic meretur, quod Schickſuſius Lib. 3. Cap. 6.

B 3

pag

pag. 45. ex Curæo refert, Conradum Episcopum Vratislaviensem in Concilio Basileensi impetrasse Statutum aliquod, quo cautum sit, ne quis in Ecclesia Cathedrali ad sacra recipiatur munera, nisi sit indigena, aut gradibus academicis insignitus: additque, illud nondum in vulgus editum, vel in Bibliotheca Vaticana, vel apud Canonicos Vratislavienses asservari. Quod Statutum vero huic ipsi Codici insertum legitur, in fine partis primæ seu Statutorum hoc titulo: *Bulla confirmatoria Status, de alienigenis, nisi qualificatis, non recipiendis, nec admittendis.* Data autem fuit hæc Bulla in Synodo Basileensi Anno 1435. Ibid. Decembr. ad Abbatem Monasterii B. Mariæ in Arena extra muros Vratislavienses, quæ ipsi potestas injungitur, Statutum illud de alienigenis, re bene explorata, nomine & Autoritate Synodi literis datis approbandi confirmandique.

Multum sane Codex ille facit ad Statum Ecclesiæ Cathedralis Vratislaviensis, ejusque ritus, ceremonias, dignitates atque officia, si non omnia, pleraque tamen atque præcipua, antiquorum præsertim temporum cognoscenda. Quanta autem religione tractandus observandusque sit, ipsa Rudolphi verba, satis gravia, libro præfaminis loco præmissa, luculentius docebunt, quæ describemus integra, iisque MSti recensione, jam nimis prolixam claudemus, ita vero sonant:

„RUDOLPHUS Dei gratia Episcopus Vratislaviensis,
 „Juste ac digne decernimus celanda. Unde ejusdem venerabilis Capituli consensum attendentes districte prohibemus, ne quispiam, cujuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis, existens, hunc librum in domum suam, sive alium quemcunque locum privatum deferat, aut circa & apud se habere teneat, aut quæ in eo scripta sunt, in aliqua sui parte auferre, de-

delere, abradere, cancellare, corrigere aut immutare audeat quovis modo. Si vero quis horum aliquod sine speciali consensu, & permissione Capituli nostri facere, sive attentare præsumserit, ultra reatum perjurii, excommunicationis sententias, quas Dei nomine in his scriptis ferimus, incidat ipso facto, & ejusdem tam diu irretitus & ligatus permaneat, donec liberum ad locum Capitularem restituar; & si quæ ablata, addita, cancellata, abrasa sive immutata fuerint, juxta Capituli decreta, debite emendet, atque a nobis, aut successoribus nostris, Episcopis, sive in spiritualibus Vicario generali meruerit absolutionis beneficium obtinere. Volumus autem, quod hic liber in Capitulo aut Ecclesia, unicuique Capitulari, videre & legere volendi, libere communicetur, ne quisquam ignorantiam contentorum in eodem prætere valescat aliqualem. Provisio tamen quod mox, postquam eo usi fuerint, aut alterorum usus fuerit, liber ad Archiva vel Armarium Capituli, unde receptus sit, sine qualibet immutatione sive offensa salvus reponatur.



III. Nicolai Polii Annales Vratislavienses.

Patrem hic habuit THOMAM, Olsnensem Diaconum Vratislaviz Magdalenzum Melanchthonis Discipulum, a quo, & Johanne Bugenhagio aliisque, Wittebergæ ordines sacros recepit, quique hic Vratislaviz in audienda Confessione mulieris peste infectæ, ipse malo hoc epidemico correptus, Anno 1568. ætatis 37. occubuit. Nicolaus Noster matre editus MARGARETHA APPELIA, in Magdalenza Schola primum rudimenta posuit, solidioribusque studiis Wittebergæ confirmatus, in patriam redux Collega Elisabetanus, & ad S. Salvatoris ædem suburbanam Ecclesiastes constituitur, tum Bernhardinianus Diaconus, unde inter Magdalenzos receptus Diaconos, tandem Diaconus evasit senior, quem & Archi-Diaconum vocant. Lucem his afferet Epitaphium in æde Magdalenza, quod subjungimus.

NICOLAUS POLIUS VRATISL. ÆDIS HUIUS ARCHI-DIACONUS & SENIOR, credidit propter quod locutus est,

Sanctum, Sanctum, Sanctum
Dominum DEUM Zebaoth, cujus gloria plenitudo
totius terræ.

Natus Anno Christi 1564. ad ministerium vocatus Anno 1596.
Archidiaconatum an. 21. pure docendo, sancte vivendo,
scriptis

scriptis publicis bene merendo functus, postquam cum Conjuge sua EVA KLOGIN xxxiix. annos vixisset, liberos utriusque sexus xv. genuisset, totidemque vidisset nepotes neptesque Anno 1632. die 16. Februarii vita & officio defunctus, Anno 1633. die 13. Octobris Conjugem ad beatum illum statum subsequam habuit, exactis hujus vitæ annis lxxviii. nunc sine fidei fruitur vita æterna.

Joh. Henr. CUNRADUS in Silesia Togata pag. 217. hoc ei scripsit Elogium:

Dic, venerande Poli, Polus an tibi nominis autor?
Esse Polo natum te, pietate probas.

Scripta quæ edidit, sunt 1.) Hemerologion Silesiacum Vratislaviense, Lipsiæ Anno 1612. in fol. excusum. 2.) Historia Incendiorum in Silesia, quibus præmittitur Ducatus Silesiæ, nec non Urbis Ducatusque Vratislaviensis Topographia, annexa in fine Oderæ, aliorumque Silesiæ fluviorum descriptione, Vratisl. 1629. in 4. 3.) Historia Nivalis, Bregæ 1624. 8. Præterea Historia Ventorum, Historia pluvialis, & Historia Caloris insoliti in MStis latere dicuntur. vid. Mart. Hankii Colleg. Silesiac. MStum. Omnium autem maxime elucet ejus Annales Vratislavienses inediti, magna collecti cura, propriaque Polii manu spisso volumine in folio, lingua vernacula, ut & reliqua ejus opera, conscripti: in quibus ab antiquissimis temporibus ad Annum 1625. juxta seriem annorum, universam Silesiæ, maxime vero Vratislaviensis Urbis Historiam exposuit. Et fateor, me Annales ejusmodi Silesiacos plurimos oculis usurpasse, manibusque trivisse, quorum alii alios vel antiquitate, vel rerum copia atque præstantia antebant; nunquam tamen tantum rerum optimarum, atque etiam fide dignissimarum cumulum,

ac in his deprehendisse, ut ita omnes alios multis parasangis post se relinquunt.

Videas hic promtuarium aliquod, ex quo Urbis nostræ Antiquitates, Resque notabiliores promi, illustrari, corroborari-que possint, ita ut fere ausim dicere: frustra alibi quæri, quod hic non inventias. Ut taceam singularia quam plurima, in hominum Literatorum vitis obvia. Merentur hic legi causæ & rationes, cur Henricus Dominicus Ducatus Vratislaviensis Præfectus sive Capitaneus capite sit plexus; Testamentum Nicolai Ducis Oppolienfis Nissæ decollati Anno 1496. Prolixa belli & cladis Bicinensis descriptio; Relatio de Beneficiis Vratislaviensium Erfurti & Coloniz literis navantium, aliaque multa. Ex hoc opere Autor Hemerologium suum concinnavit, quod tantum minima ejusdem pars est. Locum occupat inter Libros RAMPUSCHIANOS Bibliothecæ ad S. Bernhardini ædem Neapolitanæ, estque ibi MStorum Caput, & Bibliothecæ Cimelium nobilissimum. Versavit sedulo Annales holsæ Joh. Henr. CUNRADUS Silesiæ Togatæ, quæ Anno 1706. prodiit, laudatissimus Autor, ubi in enumerandis diebus natalibus ac emortualibus Polius utramque facit paginam. Schickfusius quoque a Polio, haud dubie ex hoc opere, adjutum se fuisse, in præfatione gratus prædicat.



Godofr. Ferd. De Buckisch & Levvenfels Acta Ecclesiastica.

STrela, Bregensis in Silesia Ducatus Oppidum, huic natale solum præbuit, cujus parentes Augustanz Confessioni addicti, filium iisdem sacris initiandum, eademque doctrina imbuendum curarunt. Vratislaviæ literis innutritus, in Academiis nostratibus animum ad majores conatus præparaverat: quos cum inter suos exserendi occasionem non videret, impatiens moræ, posthabitis Evangelicorum sacris, Romanæ Ecclesiæ fidem amplexus est. Quo facto in Aulam Bregensem assumptus, ut Regio Ducatus Regimini adesset a Secretis, postea dignitate aucta, simul etiam Consiliarius Cæsareus salutabatur. Sed altius extulit fortuna, lapsu graviore ruiturum. Viennam enim adscitus, seu Historiographum Cæsareum, seu Professore Academicum (incerta hic habeo) egit, atque præter nobilitatem, multos alios honorum titulos consecutus, sacri Rom. Imp. Eques audiebat, Cæsareusque & diversorum imperii Statuum Consiliarius. Sed gradu tandem suo depulsus, Viennaque cum familia excedere iussus, exitu honoribus suis indigno vitam finit. Austria enim excedens, variis locis exulavit, donec Coloniz Agrippinæ moreretur, extremis vitæ annis summa cum egestate colluctatus.

Fama est, eum ante Pacem Ryswicensem hæsisse Ratisbonæ, consiliumque de reditu ad avita sacra agitasse, additis pollicitationibus

onibus, non solum se retractaturum, quæ in Observationibus ad Instrumentum Pacis perperam scripsisset; verum etiam Historiam suam Silesiacam MStam, iis locis mutaturum, ubi studio partium nimium fuisset deditus. Fuisse etiam perhibent, quibus id negotii datum, ut Virum Coloniam cum suis fame percontem clam allicerent, quod multos desiderium tenebat Historiz illius Silesiacæ, quæ conscripta sit illis adjumentis, quæ non cuivis alias pateant, suppeditatis nempe commendatione eorum, qui in aula omnia potuerint, & quorum in gratia ipse flourerit. Sed destinata hæc mors intervertit. Quem hic testem publicum advocem, qui diis fidem faciat, Autorem Meditationum ad Instrumentum Pacis Casareo-Suecicum habeo: reliqua ex relatione fide digna hausta sunt. Esse autem Dn. de HENNIGES, Aulæ Berolinensis Consiliarium, illarum Meditationum Autorem, nuper Bibliotheca Halensis Part. XXI. pag. 29. prodidit: cujus verba integra, notabilia sane, hic describere prolixitas vetat, leguntur ea in Præfatione illarum Meditationum specimine I. & brevius excerpta in Biblioth. Halensi P. II. pag. 93.

De eo quid Gloriosissimus Imperator LEOPOLDUS existimaverit, ex Diplomate, quo Nobilitatis insignia ac Jura Nostrum Anno 1691. die 25. Aprilis collata sunt, patebit. *Wann Wir nun gnediglich angesehen, wahrgenommen und betrachtet die Erbarkeit, sonder gute Tugenden, Vernunft, Geschicklichkeit, vortreffliche Erfahrung, Verstand, und aufrechte Redlichkeit, damit Unser Rath, und des Ober-Burggrafen-Amtes ob unserm Koniglichen Schloß zu Praag Assessor, und des Reichs lieber getrauer Gottfried Ferdinand Buckisch, berühmet worden, und daß Er seine aus beständigem, von Jugend auf in Obliegenden freyen Künsten und Studis angewendeten Fleiß und Eifer, besonders in Juridicis, Politicis & Historicis erlangte gute Wissenschaft, je und alzeit, zu unsern und unserer Erb-Konigreiche Fürstenthumen und Länd-*

den nützlichem Diensten, in unterthänigster Treu angewendet, und solches zu mehrmahlen, förderst aber durch die bey unseres freundlich geliebten Sohnes, des Römischen Königes JOSEPHI I. in unser and des Heil. Reichs Stadt Augspurg, vorgewesten Wahl und Crönung, herausgegebene Ritus und Solennia, auch vorhero durch mühsame Colligirung der in unterschiedenen Tomis bestehenden, und uns zu gnedigstem Gefallen gehorsamst eingestollten Schlesi-scher Publicorum, und weisläuffigen Entwerffung der Pfaltz-Neuburg-Bayrischen Genealogie, im Werck satzsam dargethan, und sonst in Officiis publicis, mittelst seiner bey dem Fürstenthum Brieg, seithero in das 15. Jahr, so getreu, als fleißig versehenen Regierungs-Secretariats und Rathsstelle, amb uns und unser löbliches Erzhauß Oesterreich, sich mehr und mehr meritiere zu machen, alle euserste Kräfte angewendet hat, nicht weniger forthin in unveränderter Treu und Devotion, Zeit Lebens zu verharren, und seine Posteritat zu gleichmäßiger Nachfolge anzumahnen, des unterthänigsten Erbietens ist, auch wohl thun kan, mag, und soll; So haben Wir &c.

Jam de Scriptis dicendum. Edidit nimirum 1.) Prolegomena Historiæ Silesiorum Ecclesiasticæ, Nissæ Anno 1685. in 4. in quibus a primis fidei Christianæ in Silesia initiis, ad Lutheri usque tempora, fata status in Silesia Ecclesiastici compendio non spernendo, si partium studia excipias, linguaque patria persecutus est. 2.) Genealogiam Electoralem Palatinam Neoburgico-Bavaricam Anno 1687. folio patente maximo, quatuor schedis constante, quam deinde arctiori tabellæ inclusam, Observationibus in Instrumentum Pacis post pag. 5. inseruit. 3.) Dissertationem de Regis Romanorum tum Electione, tum Coronatione, cui subjungitur Discursus Juridico-Politicus, de Fontibus Juris Publici, quorum neutrum videre licuit. 4.) Observationes Historico-Politicæ in Instrumentum Pacis Osabrugo-Westphalicum, Viennæ Austr. 1696. 4. Sed ultra Art. VII. non productas; de quibus Judicium legas in præfatione supra laudata Dn. de Henniges, & Bibl. Hal. locis citatis. C 3 Maxi-

Maxime autem cur Scriptorem hunc in scenam produxerim, facit initio memoratum Opus, grande certe atque laboris maximi, vernacula conscriptum, cui constipando non solum Viennæ, uti Autor Meditationum innuere videtur; sed Bregæ etiam a Secretis existentem plurima congestisse, ibidemque Acta, Instrumenta, & Literas Curia Regiæ non per transennam introspexisse, credibile est. Cum enim evulgaret Prolegomena, Opus illud non tantum perfectum jam absolutumque Autor asseruit; sed passim etiam eo in libro ad MSta hæc Acta Lectorem ablegavit. Interim non negandum, multa quoque post hæc tempora, & Viennæ imprimis fuisse addita, ultimamque ibi manum impositam. In Prolegomenis Hist. Eccl. nominat: *Schlesische Religions- oder Kirchen-Acta*; in Observationibus ad Instr. Pac. *Acta Publica Silesia*, etiam *MSta publica*. Dabimus vero Typum eorum ex ipsis Prolegomenis. Dicit in Dedicatione Libri, collegisse se VII. Tomos Actorum illorum, ad numerum septem, quæ ipse constituit, fundamentorum (*Grundfesten* vocat) Religionis Evangelicæ in Silesia, quibus singulos Tomos dicaverit, ita ut agatur

Tomo I. de Pace Religiosa.

Tomo II. de Literis Majestaticis.

Tomo III. de Unione Bohemica.

Tomo IV. de Transactione Saxonica.

Tomo V. de Recessu Pragensi secundario.

Tomo VI. de Instrumento Pacis Osnabrugensis.


Tomo VII. de Resolutionibus Cæsareis aliis in causa Religionis.

Quis non videt, Thesaurum hic condi exquisitissimum Actorum Instrumentorumque omnium in Negotio Religionis à tempo-

temporibus Pacis Religiosæ promulgatorum atque editorum; opusque esse incomparabile, si Acta illa in se respicias, nisi forte verba illorum depravata sint aut mutata. Specimina quædam ex eo videre licet in Observationibus ad Instr. Pacis Art. V. §. 38. Silesiæ etiam Principes. pag. 247. & uberius in Mantissa ad hunc Art. p. 428. ubi Acta comitorum Ratisbonensium Anni 1653. etiam 1654. leguntur, quæ versantur in Declaratione §. Siles. & Princ: utrum nimirum verba illa ad solos ibi denominatos Principes & Urbem Vratislaviensem restringenda sint; an etiam ad eorum subditos & Suburbia extendenda. Itemque in Observationibus ad Art. VII. de Calvinismo in Silesia superiore per Johannem Georgium, Marchionem Brandenburgensem, & in Silesia Carnoviensem Ducem, introducto. Qui, quid distent æra lupinis, non ignorat, ex hisce specimenibus facile subolet, quid sapiant reliqua. Cæterum Volumina hæc Actorum plus vice simplici descripta, in cœnobiorum quorundam Bibliothecis Vratislaviæ latere dicuntur. His supplementum brevi accederet, quod octavum constitueret Tomum, si vera esset fama, quæ Virum magni nominis in elucubrandâ Conventionis Ransstadiensis Historia desudare vulgavit. Sed manum de tabula. Claudimus primum hoc specimen verbis, quibus Epistolas suas obsignare solebat

Rhonius:

Docti meliora, seqvemur.



Addenda & emendanda.

*Pag. 3. lin. 7. à fine, post: Episcopi, adde: ex quo nummos caeperunt cudere, Pag. 5. l. 15. prægustum. l. 4. à fine Seculi XIV. P. 9. l. 6. caeptam. l. 18. hzc. l. 23. aliiqve. P. 11. l. 21. superfedemus. P. 12. l. 5. Cathedrali. l. 21. pro: 8. Febr. fac. 8. Januarii, ita ut etiam nondum electus Statuta ediderit. P. 13. l. 2. Conclusiones. P. 14. l. 10. Idib. P. 15. l. 13. volenti. P. 16. l. 4. & 5. post: Olsnensem & Magdale-
szum adde Comma. l. 10. post: Appelia, fac: in Elisabetano Gymnasio rudimenta
posuit. l. 16. Subjungimus. Reliqua æqvitati Lectoris relinquuntur.*




CHRISTIANI RUNGII
MISCELLANEA
LITERARIA

De

Quibusdam ineditis Historiæ Silesia-
cæ Scriptoribus ac Operibus.

Specimen II.



Wratislavia, apud Es. Fellgibelii Viduam & Hæredes. 1713.

BRIGAE,
IMPRESSUM APUD B. GODOFREDI GRÜNDERI VIDUAM.

ILLUSTRI GENEROSOQUE
DOMINO
MELCHIORI
FRIDERICO
de
STOSCH,

Toparchæ in Montschütz & Kan-
then, Judiciiq; Aulici in Wolaviensi Circulo
PRÆSIDI,

Et.

DOMINO AC PATRONO
SUO,

Quovis Honoris Obsequiique Cultu maclando,

Hoc Animi devinctissimi Monumentum,

Qua fas est, Reverentia offert

C. R.

JLLUSTRIS, GENEROSE,
DOMINE GRATIOSISSIME,



TEmerarium committe-
re facinus videor, qui Equestri
Togæ pulveres hosce literarios
adspergere non verear, foctuque
haud satis maturo in Conspe-
ctum Tuum prodire ausim. Sane, si quid Cona-
tui

tui huic meo obstare potuisset, illa Tui Nominis
fuiisset sublimitas; nisi Virtutis generosæ Gratia,
ex altera parte addidisset Animum, hocq; ipsum,
quod detrectare videbar, mihi imperasset Obser-
vantix officium. Quis autem est, cui innotuit
Illustre Nomen Tuum, quin idem sciat, quantum
Literis mansuetioribus statuas pretium, qua cu-
piditate Ipse secteris Musas, iisdemque præbeas
Aures pariter ac Animum, Teque Tibi ereptum
totum iis devoveas? Tute Ipse Tibi Testis es,
quanta voluptate perfusus Majorum Tuorum Ci-
neres legas atque excutias, si quas forte in illis
reperires scintillas, quibus Genti Tuæ faces pos-
ses accendere: dum nempe antiquissimæ Tuæ
Profapiæ primos natales eruis, atque longinquam
numerosamque Propaginem, difficillimis Co-
gnationum nodis implexam, e Documentis ve-
tustissimis labore improbo extricas, ac immor-
tale

tale STOSCHIÆ Gentis Decus Tabulis Genealogicis luculentissime adstruis. In quo Virum Illustrem, DAVIDEM SCHWEINITZIUM, Avum Tuum Maternum, laudatissima æmulatione exprimis, qui typis vulgata Stemmatum sui Genealogia, quot edidit Tabulas, tot præclara nunquam intermorituri Nominis, in Templo Honoris suspendit Anathemata.

His vero Literarum deliciis immerfus, tantum abest, ut Homines Literatos, velut infra dignitatem constitutos, qui seculi mos est, averferis, ut vel maxime eorum consuetudine ac commercio recreari cupias: ne dicam de summa Tua in me Benevolentia, qui non tantum Accessu Colloquioq; Tuo, me, in hoc eruditi orbis Theatro ultimæ cavæ hominem, plus semel es dignatus; verum etiam MStum Codicem, primum
inter

inter Recensus istos locum occupantem, benevolentissime mecum communicatum, studiis meis deesse noluisti. Cur ergo TE quoque non accederem, aut saltem Codicem illum, cum humillima animi grati testificatione redderem? Hic culpam, hac compellatione contractam, diluet, liberumque parabit accessum. Neque, spero, quod Tuum est respues, aut aspectu excludes, quod ob Argumenti affinitatem huic sese adjunxit.

Accipe igitur, DOMINE GRATIOSISSIME, alterum hoc Miscellaneorum specimen, atq; a Tuo splendore, eum, quo destituitur, largire nitorem. Divinum autem Numen TE, Equestris Ordinis, atque Literatæ Nobilitatis SIDUS PERILLUSTRE, quam diutissime sospitet atq; fortunet, faciatq;, ut antiquissimæ æque ac florentissimæ Prosapiæ nunquam desint, qui Prudentiæ
tiæ

tiæ laude, Meritorum Gloria, atque Eruditionis
Fama, Familiam suam ornent atque locupletent,
STOSCHII. Scribebam Vratislaviæ V. Id.
Augusti A. O. R. M DCC XIII.



I.

SIGISMUNDI ROSITZ
Chronica: & Numerus Episcoporum
Vratislaviensium.

Obscuri Nominis Scriptorem in medium produco, qui in-
ter Historicos Silesios locum hætenus invenit nullum;
quem tamen ab oblivione esse vindicandum, Codex,
qui præ manibus est, suadere videtur. De quo vero
quid dicam, nihil fere habeo, nisi quod nomen ipse suum duobus
hujus Codicis locis prodidit memoriæ, iisdemque vitæ suæ ratio-
nem quodammodo aperuit. Primum ait, Artibus se dedisse ope-
ram Freyburgi, dum ad Annum 1421. scribit: *Eodem tempore Ego
Sigismundus Rositz fui Scholasticus in Freyburgk.* Quantum ego
conjicio, Freyburgum Silesiorum, in Ducatu Suidnicensi intelligen-
dum est, quod, si amplius conjectare licet, indicio esse possit, fuis-
se Silesium, & vel eo ipso loco, vel in vicinia natum. Deinde
vero Clericum factum esse, & Vratislaviæ sacra administrasse, ad
Annum 1430. his verbis indicat: *Eodem Anno Ego Sigismundus Rositz
recepi ordinationem in Quadragesima, & cantavi meam primam Missam
Dominica Misericordias Domini in Ecclesia Beate Maria Virginis in A-
rena Vratislavia.* Unde an probari possit, cum adscriptum fuisse
Ordini Canonorum Regularium S. Augustini in isto Monasterio,
haud temere dixerim. Ex eodem tamen fundamento, Canonicus
Lateranensis, Ordinis S. Augustini, in Monasterio D. Virginis, in

D

Arena,

Arena, sic dicta Infula Vratislaviz, sed corrupto nomine, Sigismundus Koseriz dicitur, in Ern. Frid. *Fischeri* Silesiis extra Silesiam Episcopis, pag. 30. Decad. I. quæ prodiit Schlichting, An. 1707.

Atque ex duobus hisce locis didici eum esse Codicis hujus Autorem, in fronte enim nomen exulat. Num vero sit Autographum, definire nolim. Dubitationem fere affert Scriptura haud satis curate expressa, cum permultæ voces (ut palam fiet deinceps) adeo depravatæ sint, ut vix emendari restituere possint, etiam in rebus recentioribus, Autori coævus: nisi forte dicamus, fieri potuisse, ut Rositzius ipse, dum non pauca ex aliis decerpfit, (passim enim citat antiqua Chronica) alienam manum minus recte legerit, neque melius expresserit calamo. De cujus ætate, si ex hoc opere iudicium ferendum sit, cui annus 1470, finem imponit, eum sexagenarium decessisse crederem, cum Anno 1430. quo sacros ordines assumpsit, saltem vigesimum ætatis annum egisset existimem.

Codex, quem jam perlustrabimus, latino sermone conscriptus est, ut liquet e duobus testimoniis superius allatis, sed stylo mire barbaro, ut ea ferebant tempora. In eo autem hoc ordine procedit Noster, ut initio exhibeat Catalogum Episcoporum Vratislaviensium, omissis Smogrensis Bicinensibusque, ordiens ab Hieronymo, ultimo Bicinensium, & primo Vratislaviensium Episcopo. Hos, excluso tamen Vito & Theodorico, ad Rudolphum usque, productos, breviter perstringit, indicata plerorumque tantum electione & morte, paucis quibusdam interdum adjectis. Exemplo sint sequentia, quibus ipsum operis initium præmittemus.

Vratislaviensem, ut in Principum Polonorum reperitur Historiis, Casimirus primus, Monachus, Sub-Diaconus Cluniacensis Monaste-

nasterii, & ad Polonia Regnum reductus, fundavit Ecclesiam, de quo etiam sunt hi versus:

Quondam per Monachum Regem Dominum Casimirum
Est institutus Vratislaus Pontificatus.

Hæc siquidem Ecclesia jam in tertio loco sita est. Fuit enim primo in Smogravv, Namslaviensis Districtus. Secundo Riczen Brengens. Nunc autem in Vratislaviam est locata. Hujus Ecclesiæ primus Episcopus fuit Hieronymus, Nobilis Romanus, ordinatus Anno Domini 1051. qui & attulit Reliquias, scilicet Capita Sanctorum Vincentii Levitz & Martyris, & Brachia Sanctorum Clementis, Georgii, Sebastiani, Martyrum. Obiit Anno Domini 1062.

Nonus Episcopus Vratislaviensis Valterus, ordinatus est Anno Domini 1148. Hujus temporibus Ecclesia Vratislaviensis murata est, quæ lignea fuit, & usque ad ejus tempora multi Episcoporum Polonia ac Canonici & Sacerdotes uxorati fuerunt. Per eundem Episcopum institutum est officium Lugdunensis Ecclesiæ cantu & ordine in Ecclesia Vratislaviensi, quia in Lugdunensi Johannes Baptista est Patronus, & Administrator Ecclesiæ Vratislaviensis, Canonici Lugdunenses habent rubeas capas, & de Ecclesia Lugdunensi arma Ecclesiæ Vratislaviam sex Liliorum (MS. Ecclesiarum) in campo rubeo sunt recepta. Hic Episcopus primo introduxit Conventum Monachorum in Leubes ordine sancti Benedicti.

Vicesimus quintus Episcopus Vratislaviensis, Dominus Rudolphus, Legatus, Episcopus Anno Domini 1468. confirmatus per Dominum Paulum, eodem Anno, die 27. Mensis Aprilis. Confirmatio publicata fuit in die Sancti Johannis Baptistæ in Ecclesia Vratislaviensi, coram Dominis Episcopo, Prælati, Canonicis, Clero, Consulatu ac Communitate cuncta. Cantatum fuit Te DE-

UM laudamus. Dominus Episcopus accessit ad Altare, & obtulit sex florenos Ungaricos, dando Benedictionem. Tandem ivit versus Nissam ad suscipiendum homagium. Revenit in die Udalrici & fuit reverenter susceptus a Clero & populo civitatis circa Sanctum Mauritium. Et a Prælatiis, Canonicis ac Clero ambarum Ecclesiarum in pede pontis prope Sanctum Petrum, ubi sua vestimenta exuit, quæ suscepta a Custodibus, Succustodibus, Sacristanis. Dominus Episcopus indutus fuit Capa Choralis & baculo pastorali, introductus in Ecclesiam more solito. Sit Nomen Domini benedictum, Amen. Quibus verbis etiam finitur Catalogus Episcoporum seu pars prima.

Excipit hanc pars altera, multo prolixior, quæ continet Annales hoc titulo: *Sequuntur Gesta diversa transactis temporibus facta in Silesia & alibi.* In iis ab Anno 680. (cui mox succedit annus 1237.) ad Annum 1470. multa paucis complexus Autor, maxime res gestas Vratislaviensium persecutus est, in reliquarum urbium rebus parcius: quæ eum Vratislaviæ vixisse, plurimarumque rerum testem adfuisse arguunt. Exposuit Acta Ecclesiastica varia, turbas rei monetalis, multiplicesque ejus mutationes, Diffidationes, quas vocant, ac latrocinia prædonum, Hussitarum crudelitatem, eorumque clades & fata tristia, omnia quidem strictim, sed singularibus nonnunquam Circumstantiis, ita ut brevitate sua multorum defectibus succurrere possit. Quædam describemus:

Anno 1247. ibant primum flagellatores, pro destruenda fide Catholica.

Anno 1344. feria quarta post Ascensionis Domini in Synodo Diocesana Episcopus Vratislaviensis statuit Festum S. Hedvigis.

Anno 1349. ibant flagellatores secundo, ducti per quendam Diaconum hereticum de Vratislavia.

Anno

Anno 1422. Circa Festum Ascensionis Domini facta est subitanea mutatio monetæ Vratislaviæ. Nam monetati fuerunt novi denarii, cum capite sancti Johannis Baptistæ & Leone in circumferentia quadrangulari, de qua mutatione tam Clerus, quam populus notabile percepit damnum. Et hoc factum fuit per Nicolaum Rempel, (Ms. Tempil) & Bedam, sed non venerabilem. Unde quidam subscriptos Rhythmos composuit, & publice affixit:

Die Brestler haben funden einen neuen Fund/
 Sie schlahen uf die Heller Rempels Bart und Beden Hund/
 Das ist den Armen nicht gesund/
 Die Ketten schlingen es in ihren Mund/
 Werterben die Armen biß auf den Grund/
 Mit den Hellern/die sie verschlagen haben/manch Pfund.
 Wer denn das erdacht hat/
 Bey dem ist geweest gut Rath.
 Und wil das vor die Wahrheit sprechen/
 Gott wird es an demselben rächen/
 Der solche Auffakungen macht/
 Bey Tag und auch bey Nacht.
 Es reimt sich nicht gar gut ic.

Cum locus ille Nummorum Rempelianorum Bedavianorumque, vulgo Rempelbartheller/ genuinos natales, denominationisque veram rationem detegat; libuit rem expendere curatius, & peculiari observatione exponere: quæ, quod prolixior fuit, quam ut hic inspergatur, alio tempore, volente DEO, cum simili argumento, producenda erit.

Anno 1430. in die sanctæ Elizabeth fuit datum atque inditum Hæreticis nobile Castrum Ottmuhavv per Nicolaum Altzenavv & suos complices.

D 3

Anno

Anno 1431, die xvi. mensis Aprilis, quæ fuit feria sexta post Misericordias Domini, fuit captus atque Vratislaviam ductus Nicolaus Altzenavv, & statim in quatuor aciebus civitatis proclamatus, quod Castrum Ecclesiæ Vratislaviensis Ottmuchavv Huffitis tradidisset. Idem die decimo nono mensis ejusdem decollatus fuit coram prætorio Vratislaviensi.

Nicolaus ille antiqua Silesia prosapia oriundus, forte dominus fuit in Altzenau, qui pagus est Circuli Goldbergensis, in Lignicensi Ducatu. Sepulcrum nactus est in Templo S. Barbara Vratislaviæ, ejusque cingulum inauratum adhuc ostendi, suo tempore scripsit Polius in Hemerol. p. 102. ubi ad diem 16. Mart. Anno 1429. traditionem Castri Ottmuchodiensis factam esse notat, cui tamen alii quoque, una cum Nostro, adversantur. Vid. Scholia Silesogr. Henel. P. I. C. VII. p. 415.

Anno 1444. in crastino Divisionis Apostolorum, Dominus Conradus Episcopus Vratisl. statuit in sua Diocesi, quod ab Octava Corporis Christi, usque ad Adventum Domini, & ab Octava Epiphaniæ Domini, usque ad diem Cinerum, omni feria tertia Horæ teneantur de S. Johanne Baptista, & feria quinta de S. Hedvige.

Anno 1453. Die 13. mensis Februarii dignus pater Johannes de Capistranus, ordinis fratrum minorum de observantia professor, intravit civitatem Vratislaviam plus quam 30. fratribus. Fuitque a Clero & populo cuncto circa sanctum Nicolaum processionabiliter susceptus, ac a Prælati, Canonicis, Clero ambarum Ecclesiarum circa sanctum Petrum cum Reliquiis absente Episcopo susceptus. Intravitque Ecclesiam Vratislaviensem, in qua cantatum fuit Te DEUM laudamus, pulsatis campanis omnibus, factaque recommendatione per Doctorem Casparum Regil regeneratus fuit, humiliter dando Benedictionem. Reductus est ad forum salis cum suis in domum olim Johannis Glotz. Prædicavit die Cinerum

rum in Ecclesia sanctæ Elizabeth, deinde in foro salis quasi singulis diebus latine. Dominica Judica ostendit speculum terribile, alias ein Hirnschedel/ & imaginem sancti Bernhardi. Factaque fuit solennis processio de foro salis per Dominum Episcopum ambarum Ecclesiarum Parochialium, & Patris & fratrum, ad novam hereditationem in nova civitate, pro fratribus noviter erectam. Item in profesto Annunciationis Dominicæ fuit erectus novus Chorus, & postea Ecclesia nova pro eisdem fratribus ibidem.

Anno eodem feria quarta post Cantate, die secunda mensis Junii capti & detenti fuerunt omnes Judæi in Vratislavia, receptis eorum bonis. Pro eo quod Sacramentum in Langevvese furatum a quadam muliere cujusdam famuli civitatis Vratislaviensis emerunt, quæ forcipibus igneis lacerata, cum eodem suo marito fuit cremata.

Conferri hic meretur Mich. Neander in Erotemat. Lingu. Hebr. p. 494. qui ex vetusto quadam monastico libro, speculum exemplorum nominato, Historiam haud disparem multis cum circumstantiis narrat, qua etiam Vratislaviæ contigisse scribitur; cui respondere videntur, qua in Scholiis Siles. Henel. C. VIII. p. 790. ad annum 1454. de mensa cruentata in Curia loco occultiore asservata leguntur.

Anno 1456. in Vigilia Nativitatis Mariæ exiverunt Vratislavia Cruce signati contra Turcos citra 13. centum cum XI. vexillis, conducti solenniter cum processione Sacerdotum & Scholarium Ecclesiæ sanctæ Elisabeth.

Anno 1458. Schola Ecclesiæ Sancti Johannis fuit sublimata, Vratislaviæ muro, sed non totaliter, quæ incepta fuit anno Domini 1425.

Anno 1460. fuit ædificata Schola apud Sanctum Vincentium pro Scholaribus, Missas ac Vesperas, ac ceteras Horas singulis diebus cantantibus.

Anno

Anno 1462. Die nona Januarii Vratislavienses inceperunt novum pontem inter Summum & Novam Civitatem, quem sequenti anno totaliter perfecerunt.

Conf. Rbonius Epist. III. lit. C. 3. ubi eadem referuntur. Estque Pons ille, cujus Buckisius meminit in Prolegomenis ad An. 1499. p. 118. § 11. scribens: Und durch solchen Bau (der Mauren und des Walles umb die Neustadt) gieng dergestalt der daselbst weiland gewesene Steg aus der Neustadt herüber ein/darauff vor Alters die Capitularen vor ansehender Bischofflicher Wahl pflegten hinüber in die Neustadt/nach der Probstei zum Heil. Geist zu gehen/und darinn das Veni Sancte Spiritus zu singen. Ubi notandum in Codice Rboniano, qui desinit An. 1466. addi de hoc ponte verba: Qui hoc anno pene dejectus est; & aliud MStum Germanicum, non diu stetit dicit. Itaque multo ante munitionem Neapolis Vratislaviensis pons iste dejectus est, ut ita vix semel transitus ille ad decantandum Hymnum institui potuerit. Adhuc duo tantum Episcopi ab Anno 1462. ad finem seculi fuere electi, Rudolphus & Johannes IV. ut adeo ponte hoc, si stetisset ad An. 1499. non nisi bis usi fuerint. Caterum non negarem, transisse pontem Canonicos etiam alio tempore, & forte Festo Spiritus Sancti, ut Sacris ibi defungerentur. Sed bis prolixius immorari nolo.

Anno 1467. Dominica Misericordias Domini Dominus Legatus (Rudolphus) volens sermonem in Circulo (foro) facere, exivit de Ecclesia Elizabeth, præcedentibus Dominis Prælati, & Canonicis Vratislaviensibus superpelliciatu, excommunicando Jersekonom, præsumptum Regem Bohemix, & omnes eidem adherentes, inobedientes Romanæ Ecclesiæ.

Dominica Jubilate Ostensionis Reliquiarum apud S. Vincent. Dominus Cantor Eccles. Vratislaviensis publice denunciavit præscriptos excommunicatos, Domino Legato ibidem præfente.

Anno

Anno 1468. in die S. Vincentii Levitæ & Martyris, post matutinum, quidam turpissimus prædo, fur & latro violenter & audacter rapuit & abstulit de summo Altari imaginem S. Johannis Baptistæ argenteam, quæ constabat centum & triginta quinque florenos. O utinam combureretur!

Anno 1469. Feria quarta post Trinitatis, Vratislavienses præstiterunt Homagium Regi sedenti in palatio ad hoc specialiter facto, in acie Circuli, prope forum salinum, in præsentia duorum Legatorum ac Consiliariorum Imperialis Majestatis in hæc verba:

Wir Bürgermeister und Rathmanne/ und die ganze Gemein der Stadt Breslau/schweren und globen vor Uns/ und vor all unsere Nachkommen/ daß wir von diesem heutigen Tage allezeit getraw und gehorsam wollen seyn Euch Allerdurchleuchtigsten Fürsten und Herrn/ Herrn Mathiaschen/ Könige zu Böhmben/ weder alle Menschen/ und daß wir Euer Ehr und Euch nach unserm Vermögen allezeit getreulich schaffen und thuen wollen/ und Euren Schaden und Arges behüten/und alle Ding/ die zu der Krone Behem gehörig/ getreulich halten und thun wollen/ als getreue Unterthanen/ als uns GOTT helffe/ und alle Heiligen. Amen.

Anno eodem in die Corporis Christi Dominus Episcopus cantavit summam Missam in Regis præsentia, qua finita, fuit solennis Processio, de summo usque ad medium Circuli, præfente Domino de Brandenburg, & quinque Ducibus Silesiæ, scilicet Saganensis, Glogoviensis, Legnicensis & Olsnicenses portaverunt velum sub (forsitan super) Sacramento, tempore pluviali.

E

II. JACO.

II.
JACOBI SCHICKFUSII
Consuetudines Feudales Silesiæ.

Lucem adspexit Schickfusius Suibusii in Glogoviensi Ducatu, Anno 1574. die 21. Januarii, Genitorem nactus *Bonaventuram*, vectigalium regionum ibi Præfectum ac Pro-Consulem, matremque Hedvigem *Guschnanniam*. Themidi litaturus solidum Philosophiæ subdebat fundamentum, cum in Scholis publicis, tum in Academiis, Basiloensi, Argentoratensi, Jenensi, Francofurtana. Basileæ etiam Laurea Philosophica mactatur, & Francofurti a Secretis constituitur Academiæ, ubi & Elisabetham Benckendorffiam uxorem duxit. Septennium hoc officio defunctus, Anno 1604. Bregam adsciscitur, Rector Professorque Gymnasii illustris futurus: cui etiam, novis legum institutis cœtum scholasticum obfirmando, ædificium insignibus Juventutis equestris exornando, pubemque artibus optimis feliciter instruendo, maximo cum applausu præfuit per novennium. Summis deinde decoratus Juris honoribus, accepto a *Johanne Christiano* Bregensium, & postea *Georgio Rudolpbo* Lignicensium Ducibus, Consiliarii axioma, suscipiendarum rerum atque Consiliorum in Legationibus, Causis Consistorialibus, Conventibusque Principum, habitus est particeps; donec Anno 1624. a *Ferdinando II.* Imperatore, cum honoribus Consiliarii Cæsarei, Fisci per Silesiam Superiorem ipsi committeretur Patrocinium: quo in munere ad obitum usque perstitit, denatus Vratislaviæ die 15. Septembris, Anno 1637. ætatis 63. Cunradi Sil. Tog. talem exhibet;

Me Sophia & Pallas Clario vovere Lyceo;
 Culmen at Æquidicum jussit adire Themis,

Dignum

Dignum meritis suis Encomiasten Noster habuit Henelium, qui in Silesia Togata, Schickfusianis manibus insigni parentavit Elogio, quod vide inter Scholia Silesiogr. Henel. Cap. VII. p. 544. Quibus addenda Carmina gratulatoria, novo Fisci Patrono ab amicis scripta, in quibus primo loco omnes ejus Antecessores soluta Oratione enumerantur, unde Patronorum Fisci Catalogum confecit Frid. *Luca* Chron. p. 2092. nemine præterea post Schickfusium addito, præter Christianum Franzium, eo tempore viventem. Conferatur idem *Luca* p. 555. qui tamen in Nostrum tantum non ubique injuriosus est. Nonnulla etiam, quæ studia ejus spectant, in præfatione Chronici sui ipse exposuit & Lib. IV. C. 27. p. 161. plura de majoribus & cognatis leguntur.

Jacobo huic ortum debet Schickfusiorum in Ducatu Bregensi hodiernum florentissima familia, cujus insignia, in Scholiis Henelianis prætermittenda, exhibent in Clypeo Leonem coronatum, dextram gerentem stellam, & supra Galeam inter duas alas pedem Gryphis cum stella. Ad quæ Johannes Hermannus, Pastor quondam Cæbenensis hoc Epigrammate alludit:

*Sicut hyperborei pes Gryphis naviter Astrum
 Alarum gemina prendere flagrat ope:
 Alis Pieridum sic inter Sidera Cæli
 Stirpis Schickfusie tendere flagrat honor.
 In scuto veluti nitido Leo collocat Astro,
 Inter quadrupedes regia fama, Pedem:
 Schickfusum sic stemma vehit super atbera Cæsar,
 Inter terrenos Gloria summa Deos.*

Scripta ejus Henelius Elogio jam citato ita reconset: Bono publico edidit *Annales Silesie Curaanos*, insigni accessione ab se locupletatos: sed quibus non parem ab omnibus gratiam promeruit. Sacratissimos Psalmorum *Davidia* libros vario Carminum genere expressit. Scripsit & *Conciliationes Peripateticas*, *Synopsin Institutionum Imperiali-*

riatum, & quadam alia, qua prosa, qua versa oratione: cum primisq; Consuetudines Silesia feudales; sed quas in publicam lucem dare, quod maxime cupiebat, letho prapeditus non potuit. Idem etiam Henelius, postquam eandem de Jure feudali Silesiorum materiam breviter excusserat, tandem ad Schickfusii atque Schönborneri, Duumvirorum excellentissimorum labores ejusdem argumenti MStos provocans, non sine debita laudis commemoratione utrumque dimittit, Silesiogr. Renov. Cap. VIII. p. 634. Add. Henning. Witte Diar. Biograph. ad An. 1636.

Duobus vero potissimum Operibus inclaruit Noster, Chronico Silesiaco & Consuetudinibus Feudalibus, quibus velut alis in sublime vectus, Civium populariumque suorum ora pervolitavit, ac æternum nomini conciliavit decus. Ea Hankius Noster in Coll. MSto de Reb. Siles. his verbis describit: *Germanice scripsit Silesia Chronicon Libris IV. ab initio Silesiorum gentis ad Matthia Cesaris, Bohemia Regis, Silesia Ducis obitum An. 1619: editum est Jena 1625. in fol. Præterea latine scripsit Opus de Jure feudali Silesiorum, in quo Feudorum secundum Jus & Commune & Silesiacum Differentias; Silesiacorum Personas, Res, Investituras, Acquisitiones, Successiones, Corruptiones exponit: reperitur adhuc MStum.* De utroque agere constitui, illo quidem peculiari, quæ sequitur, Tractatione, qua fata ejus percensebuntur: hoc autem, quod hujus est loci, in præfens dicendi materiam aperit.

Opus istud Capitibus XXI. absolvitur, quorum contenta atque summaria omnia huc transferimus, ita quidem, ut cuilibet Capiti simul subjiciantur summaria alia, ab Autore ipso concinnata, operique præmissa, in quibus, collato Jure Communi feudali, cum Consuetudinibus Silesiacis feudalibus, quid illo fieri debeat, his vero usu venire soleat, ostenditur.

Prælium: De Juris feudalis Origine, ac Consuetudinis potestate.

Cap. I.

- Cap. I. De Feudorum natura generali & speciali in Silesia.
Jus Commune statuit Feudum in dubio censei rectum: in Silesia vero semper obliquum.
- Cap. II. De Personis & Rebus feudalibus.
De Jure Communi Dominus resignatum Feudum in manus, retinet per annum: in Silesia Dominus mox resignatum fundum vasallo concedit.
- Cap. III. De Investitura.
De J. C. Hasta, Annulo, Baculo, Gladio, Vexillo datur Investitura: in Siles. tales solennitates in feudis singillatim non adhibentur.
- Cap. IV. De Investitura simultanea.
De J. C. habent illi Vasalli simultaneam, qui in Investitura sunt comprehensi: in Sil. fratres, fratrumque filii habent perpetuam quandam simultaneam vi privilegii.
- Cap. V. De Feudi acquirendi modis.
De J. C. Feuda sunt quadam servitutis: in Sil. Feuda non sunt servitutis.
- Cap. VI. De Fidelitate, quam Vasallus Feudi Domino præstare debet.
De J. C. præstant Vasalli specialem fidelitatem Vasallagii: in Sil. maximam partem non præstant illam.
- Cap. VII. De Instrumentis investituralibus.
De J. C. fidelitatis Juramentum inseritur Investitura: in Sil. valet investitura antiqua, etiamsi Juramentum non est insertum.
- Cap. VIII. De Investitura vetusta Belconiensis & Parchviciensis ex Dd. extraneorum sententia.
De J. C. titulus inferi debet Investitura: in Sil. valet Investitura antiqua, etiam absque ullo inserto titulo.
- Cap. IX. De fundamentis Investituras Belconiensis & Parchviciensem antiquas propugnantibus.
De J. C. Vasallus incerta servitia præstare solet: in Sil. certa & determinata servitia Vasallus præstat.

E 3

Cap. X.

III.
FATA CHRONICI SCHICK-
FUSIANI.

Non parem ab omnibus gratiam Chronico suo promeruisse Schickfusium, antea verbis Henelii diximus: illud autem quid sit, exponendum nunc est. Postquam nimirum Joachimus Curæus, Med. D. Annales Silesiæ, ab origine gentis, ad An. 1526. & quod excurrit, Wittebergæ An. 1571. ediderat; eos Henricus Rathelius, Consul Saganensis, in Germanicum Idiomata suavis Curæi aliorumque translatis, cum supplemento Rerum Polonicarum, Livonicarum, Moscoviticarum & Suecicarum, Francof. ad Mœn. Lipsiæ & Wittebergæ An. 1585. in 4. emisit. Deinde posterioribus curis lustratos, & tertia parte ad Annum usque 1594. ab eodem auctos, liberi & heredes Rathelii, ipso jam An. 1594. labori immortuo, exscribi curarunt Islebiæ An. 1601. in folio: cui editioni adhuc accessit Saganense, Prebuisense & Naumburgense Chronicon. Denuo vero prelo submissi Annales, addito superioribus supplementis auctario novo, de rebus urbibusque Silesiæ Laurentii Peccensteinii, Historici Saxonici, prodierunt Lipsiæ An. 1607. in fol.

Hos Annales, quamvis auctos, ubique hiulecos deprehendens Schickfusius, supplendos sibi sumpsit, editoque Prodromo aliquo, instituti sui rationem aperuit: tandem vero interpolatos, & ad An. 1619. productos, volumine satis amplo in fol. edidit Jenæ An. 1625. sumtibus Bibliopolarum Vratislaviensium, puta Heredum Eyerlingianorum & Johannis Perferti. Cujus Operis, quod Chronicon Silesiæ auctum appellabatur, uti fundamentum erant Annales Curæani; ita etiam verba omnia Curæi, ex versione Rathelii Germanica Schickfusius retinuerat. Quæ cum non usque quaque proba-

probarentur, & nonnunquam liberius acriusque prolata videntur; accidit, ut Chronicon hoc recens Censuram incurrens, passim castigaretur, culpamque ab aliis impune contractam, suo damno dilueret. Tum variis locis, indubie ab Autore ipso, mutatum est, expunctis iis, quæ videbantur injuriosa, aliisque in eorum locum substitutis.

Quæ causa est, quare duæ editiones Chronici Schickfusiani vulgo circumferri credantur, quarum alteram genuinam, alteram vero castratam vel emendatam nuncupant. Quodnam autem inter utramque intercedat discrimen, aut quibus locis alterutra obelo notata sit, hæcenus indicavit nemo: nisi quod Celeberrimus Gryphius, unus fere, discriminis hujus mentionem faciat, *videndum hic*, inquit, *in primis est, ut editione sincera, & non castrata uti liceat*, Appar. de Script. Sec. XVII. p. 173. ubi tamen particula negativa, quæ deest, ex MSto supplenda. Plurimi assertioni suæ, de diversis editionibus, in Frontispicio operis præsidium quærunt, cum in quibusdam non Jenam, sed Lipsiam præfixam legunt. Ast infirmum hoc esse argumentum, patebit deinceps. Quod autem Inscriptio ex parte mutata sit, ita ut non tantum Lipsia, sed etiam Lipsienses Bibliopolæ adscripti fuerint; id argumento esse posset, Bibliopolas nostrates ea pœna (nisi etiam graviore) multatos esse, ut libro vendendo abstinerent. Et memini me legisse in Annalibus MStis, Johannem Perfertum, Bibliopolam, Johannis Eyerlingii generum, An. 1625. quo Opus hoc editum est, violentas sibi manus intulisse, ictuque sclopi semetipsum interfecisse: Quod fatum mutationi istius Libri quidam adscribunt; an vere, peritiores noverint.

Ut ergo dicamus, in quo diversitas consistat, ante omnia monemus, non dari Editiones duas Chronici Schickfusiani, utpote quod a prima sua impressione non amplius recusum est; sed diversa tantum primæ illius unicæque Editionis extare exempla, quo-

rum nonnulla passim locorum mutationes varias subierunt, & foliis quibusdam Lipsiæ denuo expressis, aliam quodammodo faciem visa sunt induere. Fieri autem vix potest, ut folia illa recusa, evolventium oculis se subducant, quin sua reliquis differentiam manifeste prodant, cum charta in iis appareat candidior firmiorque & typi aliquanto sint nitidiores Jenensibus, ac inprimis lemmata margini adscripta literarum magnitudine satis promineant: nec dicam de columnis, quas vocant, seu paginis interdum iusto brevioribus.

Jam de ipsis locorum variationibus dispiciemus, & præ cæteris inscriptiones conferemus. Prior in hæc verba desinit: Mit sonderbarem Churfl. Sächsischen Privilegio. Jena. In Verlegung Hanns Eyerings Seel. Erben/ und Johann Perfers/ Buchhändler in Breslaw. Altera vero mutata ita sonat: Mit sonderbaren Röm. Käyserlich. und Churfl. Sächsischen Privilegiis, Leipzig. In Verlegung Zachar. Schürers und Matth. Göbens/ Buchhändler. Loca autem ipsa, quæ fuere mutata, aut deleta penitus, surrogatis in vicem eorum verbis rebusque aliis, adferre integra, nimis prolixum foret: ne tamen eorum profus ignari dimittantur Lectores, unum alterumve tantum indicabimus, quorum ope exemplaria inter se componi discernique possint, in reliquis paginas lineasque indicasse suffecerit.

Libro I.

Pag. 32. lin. 22. a fine: Es waren bey Regierung ic. ad verba: Dazumahl die Klöster.

lin. 11. a fin. de scholis Polonia: Und obwohl ic. quæ ita commendata sunt: Diese sind die rechten seminaria, infra lib. 2. c. 40. f. 145. darinnen die jungen Himmels-Pflänzlein recht
ge

gewartet/ gebeugt/ und also zubereitet werden / daß sie hernach zu dem Dienste Gottes in Kirchen und Schulen/ denn auch zu dem Regiment in dero Policeny und Häuslichem Zustande nützlichen/ und mit sonderbahrer Prosperität dero lieben Nachfahren wohl zu gebrauchen.

p. 44. l. 8. diese Fabel ic. dieses stellet man allhiero an seinem Ort/ und weiß man aus den alten Historien und Geschichten/ daß derogleichen in Schweiz vorgegeben worden/ da im Kloster zu Seckingen/ Trudelinus ein Schotte A. 500. ein solch Miracul mit ebenmäßigen Umständen solle gethan haben. Dieses aber mit Stanislaos ist ums 1074. Jahr fürgegangen/ gleich als Gregorius der Papst aus Schluß eines Synodi die Simoniacos aus der Kirchen stossen/ und die beweibten Clericos von dem göttlichen Amt removiren lassen.

p. 44. l. 36 -- 39.

p. 61. l. 13. a fin. de conjugio Clericorum abrogato.

p. 86. l. 19. de Johanne Hussio.

p. 89. l. 32. -- 38.

p. 90. l. 8. & 21. de combustione Hussi.

l. 36. de Ecclipsi solari.

p. 92. l. 3. tota; & l. 11. & 18. pro Bâbstischen: Catholischen.

p. 113. l. 17. Judicium de Capistrano.

p. 129. verba quædam ex l. 10. 11. a fin.

p. 153. l. 1. - 4. de Jubilæo.

p. 163. l. 17. a fin. ad l. 17. p. 164.

p. 165. l. 4. -- 42.

p. 173. l. 5. -- 10. & l. 17. -- 21. de Hieron. Savanorola,

l. 34. -- 41. Bellum Maximiliani cum Helvetiis.

p. 176. l. 22. -- 34. de Academia Vratislaviensi.

p. 189. l. 13. -- 27. de Reformatione Lutheri.

- p. 195. l. 27. -- 30. de Lutheri propositionibus ex Pathmo.
 p. 199. l. 14. & 32.
 p. 201. verba priora ex lin. 13.

Libro III.

- Pag. 17. Vita Timothæi & Hieronymi integra.
 p. 18. Vita Johannis I.
 p. 19. Vita Imislai, Johannis II. VValtheri.
 p. 20. Nonnihil in vita Francisci & Jaroslai.
 p. 21. In vitis Laurentii, Thomæ I. & II, verba quædam, & marginalia addita.
 p. 23. l. 3. Ultima vitæ Preceslai, & Theodorici vita integra.
 l. 10 a fin. verba quædam ex vita Cunradi.
 p. 24. l. 14. ultima vitæ Petri.
 p. 25. l. 8-12. quædam ex vita Rudolphi.
 & l. 35-39. ex vita Johannis IV.
 p. 27. l. 21. Ultima vitæ Johannis V. quæ apponimus: Denn er bauete viel Bischöffliche Sitze / wie auch den Johannes-Berg/ als er das alte Schloß Kaldenstein abtragen / und mit schweren Unkosten dasjenige Haus / unter heutigen Nahmen / zu seines Nahmens Gedächtnuß auffsetzen lassen. Dieser Bischoff Tursio regierete bis aufs 1520. Jahr / da starb er den 11. Monats-Tag Augusti, zur Meiß / daß aber seine Leiche solle mehrentheils im Schloß zur Meisse verbronnen seyn / wie oben Lib. I. Cap. 39. fol. 191. aus gemeiner Leute Reden referiret worden / meldet Johann Longinus gar nicht / derowegen man solches in seinen Ort stellet.

In II. & IV. Libro nihil quod Censuram mereretur repertum est,

est, adeoque intacti illibatique mansere. In Præfationis vero seu Dedicacionis titulis voces *Wol-Ehrwürdige* = *Andächtige* / suis locis insertæ fuerunt; ubi verba: *wie auch den Wolgebornen Freyherren* / ita emendantur: *wie auch denen Wol-Ehrwürdigen / Wolgebornen und Andächtigen* / omissa voce: *Freyherren*. Ipsa autem Præfatio ita incipit: *Hochwürdigster / Durchlächtigster Erb-Herzog / Durchleuchte / Hochgeborne Fürsten / Gnädigste und Gnädige Fürsten und Herren / Wol-Ehrwürdige / Wolgeborne / Andächtige / Gnädige Herren* / &c.

At vero liberandus est ab injuria meritissimus Schickfusius, qui in his locis sua culpa non peccaverat, ut supra jam indicavimus. Omnia enim illa quæ expuncta, deleta, variata & mutata, aut virga censoria notata fuerunt, ex unius Curzi profluxerunt calamo, e cujus deinde fontibus in Ræthelii Translationem, & Schickfusii Continuationem derivata sunt. Etenim opus Schickfusianum ad Curæanas editiones, Latinam æque ac Germanicas, collatione facta, exegi, eademque verba utrinque deprehendi: nisi quod mitiora Curzi verba, duriuscule nonnunquam, & cum aculeis expresserit Ræthelius: quæ omnia Schickfusius retinuit, verbaque prout jacebant, Chronico suo inseruit, de suo nihil, & ne verbum quidem, iis in locis, adjiciens.

Objici posset: Uno fortasse loco hallucinatum esse Schickfusium, cum in vita Preceslai Episcopi L. 3. p. 23. scribit: Eum eximie veneratum esse *Godofredum*, primum Silesiorum Episcopum, tanquam Datorem tantæ felicitatis, illique novos cultus instituisse; cum tamen apud Curzum ea de *Gotbardo* perhibeantur, nullius facta mentione Godofredi. Verum hic quoque error est Ræthelii, qui vel ob nomen perperam inspectum, vel erroneum illud judicans,

cans, vel errante inter vertendum calamo, pro Gothardo substituit Godofredum. Quod erratum retinuit quidem Schickfusius, & quodammodo suum fecit, postea vero emendatum veritati restituit. Ast Frid, *Lucæ Chro.* P. I. p. 255. tanquam veritati consentaneum, non modo repetiit, verum etiam rem explicatiorem facturus, ait: Animum fuisse Preceslao, Godofredum hunc sanctorum numero inserere, ideoque festos dies in honorem ejus Clericis suis injunxisse: quæ tamen omnia de Gothardo intelligenda sunt, qui autem tum in sanctorum numero jam erat. Vid. Bucklii *Proleg. Hist. Eccl. Sil.* p. 38, & Hencl. *Sil. Ren. Cap. VIII.* p. 97.

Non possum autem quin hic addam, publiceque tester, me Schickfusii perlustrandi copiam, sicubi facta fuerit, non facile prætermisisse, & tamen post intemeratum illud Exemplum toties visum, non nisi unicum emendatum oculis meis usurpare potuisse; idque tum demum, cum finita hac observatione, jam in eo essem, ut schedas istas prelo submitendas traderem. Quæ vero superius jam consignata erant loca, non ex impresso codice, sed ex schedis MStis, impresso codici insertis, ab emendato tamen exemplo descriptis, excerpseram: quibus deinde, quantum per angustiam temporis licebat, cum eo, quod nactus eram, denuo collatis, vera esse deprehendi, quæ initio conjectando scripseram, folia tantum quædam, non integrum opus, recusa fuisse.

Exinde liquet, rarissima esse exempla emendata; aut saltem folia illa recusa. Raritatis autem istius causa forte hæc erit, quod statim ab impressione sua magna copia divenditi, permutatique fuerint libri sinceri & genuini, emendatioque aliquanto serius sit instituta. Aut fieri etiam potuit, ut Bibliopolæ Lipsienses, quos a Vratislaviensibus Librum hunc prohibitum redemisse autumo, mutatam quidem inscriptionem aut titulum præfixerint, sed post-

habita

habita censura novella, omiffisque plagulis aut foliis recusis, neque suo loco inspersis, opus hoc conservaverint integrum, & impune vendiderint, freti Regionis Principisque præsidio. Cavendum itaque, ne quis titulo decipiatur. Non enim omnis codex, qui Lipsiam in fronte gerit, est emendatus: vidi ego hujus generis unum atque alterum, qui tamen mutationem non subierant. Sic etiam inscriptio, quæ Jenam præfert, non semper certum de genuino codice testimonium perhibere posset, nisi contextus quoque eisdem responderet. Omnium optimum κειμήλιον est, quod ex inspectione chartæ & typorum resultat, ut supra monui.

Indicata itaque Exemplarium diversitate, quæri posset, utrum sit præstantius, alterique præferendum? In pretio est intemeratum illud atque genuinum, quod vulgo Jenensem editionem vocant, satisque notum est, id ab unoquoque cæratim expeti, iis etiam, quibus acrimonia illa stili, quæ censuræ mutationique ansam dedit, minus probatur. Verum si ex eo, quo nunc ambo sunt, statu judicium ferendum sit, ego emendato pretium majus statuendum, alterique id præferendum censerem, propterea quod vel sola raritas pro ipso pugnare videatur. Nec est quod quis existimet, mutatione ista detrimentum aliquod afferri veritati historicæ; cum multa sint ab Historia Silesiæ aliena, cætera vero absque ullo negotio aliunde possint restitui. Et præterea facile fuerit emendati operis possessori loca variata petere ex genuino, ubique fere in Bibliothecis obvio; vice autem versa non item. Quod si vero loca ista mutata, peculiaribus schedis exscriberentur, ut genuinis atque sinceris codicibus possint adjungi: rara illa Exemplaria cum suis emendationibus non magnopere desiderarentur.

Hæc sunt Fata illa Chronici Schickfusiani, cujus ortus tam inauspicatus fuerat, quin imo jam conclamatus, ut propemodum a-

ctum

Etum de eo esse videretur, quod autem nunc, cum secularem fere ætatem attigit, ad tantam famæ celebritatem surrexit, ut Schickfusius omnibus Annalium Silesiacorum Conditoribus jure meritoque palmam præripiat, neque intra seculi decursum fuerit quisquam, qui palmam ei dubiam reddere potuerit. Unde etiam non obscure liquet ratio, cur rarescentibus Exemplaribus omnibus, & in tabernis librariis ubique exulantibus, aut non nisi rarissime apparentibus, opus hoc carissimo, ac insolito prorsus, in diesque crescente pretio apud nos liceat, & multis de nova sui editione, atque etiam continuatione desideria nequicquam extorqueat.

Cæterum publicæ hic decernendæ sunt gratiæ, Patronis atque Fautoribus, quovis obsequii officiique genere colendis, qui exaratis ad me literis, transmissisque codicibus MStis, aut Excerptis sufficientibus, reculas meas liberaliter locupletare, & hosce qualescunque conatus juvare studuerunt: simulque alii harum literarum studiosi orandi atque obtestandi, ut eandem cum illis mihi largiantur benevolentiam atque humanitatem, studiisque hisce, meis sua ope faveant, persuasissimumque habeant, maximam quidem a me, multo vero majorem ab aliis historiæ patriæ Amatoribus sese inituros esse gratiam, meque semper cognituros memorem illius Rhoniani;

Docti meliora, sequemur.



CHRISTIANI RUNGII
MISCELLANEA
LITERARIA

De

Quibusdam ineditis Historiæ Silesiæ
Scriptoribus ac Operibus.

Specimen III.



WRATISLAVIÆ

apud MICHAELEM HUBERTUM. 1714.

CHRISTIANI RUNGII
MISCELLANEA
LITTERARIA

D.
Quibusdam ineditis Historiis
scriptoribus ac Operibus

Specimen III



THEO. MICHAELI FR. HUBERTI 1714

VIRO

MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO,

**M. GODOFREDO
DEVVERDECKIO,**

Sacri Ministerii Lignicensis
ARCHIDIACONO PRIMARIO,
Et Bibliothecæ ad Ædem Petro - Paulinam
CUSTODI SPECTATISSIMO:

Nec non

VIRO

NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO,

**GEORGIO ANTO-
NIO VOLCKMANNO,**

Philosophiæ & Medicinæ Doctori,
Atque Poliatro apud Lignicenses Experientissimo:

Viris de Patriæ Historia

Praclarissime meritis,

DOMINIS & FAUTORIBUS SUIS

Majorem in modum colendis,

Paginas has sacras esse cupit

C. R.

Vestra, VIRI CELEBRES, ostentant Nomina
 Chartæ,
 Digna Libro potius nobiliore coli.
 Vester Amor Patriæ, Studiumque perutile, Gentis
 Inclitus Elysiæ quo renovatur Honor;
 Ut majora canam, referam meliora, requirunt,
 Ipsaque largifluum Musa ministrat Epos.
 Ast invita negat meliora referre Minerva,
 Auxilio quæ nos despicit usque suo.
 Nec tenui poterant arctari Carmine laudes,
 Nuncia quas hominum fama per ora vehit.
 Scu, DEWERDECKI, Tua jam Conamina spectem,
 Queis Patriæ Nummos explicuisse juvat:
 Sive etiam variis conferta Volumina Plantis,
 Quas VOLCKMANNIADÆ Cura Laborque no-
 tant:
 Nascitur æternæ Vobis hinc undique Laudis
 Materies, seræ posteritatis opus.
 Hic Ego pauca fero, Vestri at documenta favoris,
 Et quæ nunc Animi sint monumenta mei
 Redditur hic Vobis, quod Vestrum est, ergo benigne,
 Quod redit ad Dominos, suscipitote, suos.

I.

SEBAST. SCHUBARTI

Confutatio Errorum Schwenckfel-
 dianorum.

Quemnam hic Sebastianus Annum Locumve natalem
 habuerit, non satis cognitum est: Si tamen Epita-
 phio Lubenensi, quod deinde subjicietur, fides ha-
 benda, circiter Annum M. CCCC. XCVIII. vitam ingressus
 videtur. In præfatione Scripti jam recensendi Monachum se
 appellat griseum, (einen Grau-Münch) eoque Instituta S.
 Francisci se esse secutum indicat. Supervacaneum foret, ul-
 terius inquirere, quando Monachorum Regulæ se tradiderit,
 quod æque obscurum incertumque est, ac ipsa Vitæ primor-
 dia. Colligere tamen licet, Cucullum induisse admodum ju-
 venem, qui Anno 1522. quo ad nostra sacra transiit, viges-
 mum quartum ætatis annum vix poterat excessisse. Hunc e
 Budisinenfi Lusatia Monasterio Lignicium venisse ferunt. E-
 rat autem Templum S. Johannis Lignicense antiquitus tradi-
 tum Virginibus Benedictinis, postmodum Franciscanis fratri-
 bus, in quibus Schubartus hic Reformationis tempore decori
 Ordinis sui studebat. Evangelicæ vero Doctrinæ tum subscri-
 bens, fratribus ejusdem Regulæ vel mortuis, vel alio seceden-
 tibus, ultimus sui Ordinis, & primus Evangelii Præco in æde
 Johannea exstitit, ac inter primarios Evangelicæ Veritatis in
 G Urbe

Urbe Lignicensi statorum nomen commeruit. Audiamus Casparem Keselerum, Superintendentem quondam Lignicensis Ducatus, in Catalogo Pastorum Lignicensium de his ita scribentem: *Anno Christi 1522. Fabianus Eckel, primus Evangelica doctrina Concionator, Coadjutore Sebastiano Schuberto in Templo Johanneo, & Hieronymo Wittichio in Templo Mariano, propter impugnatum Padobaptismum officio remotus commigravit Glacium, ubi Festo Ascensionis Domini apoplexia tactus, Dominica deinceps Exaudi diem suum obiit An. 1546. conf. Dewerdeckii Siles. Numism. p. 355. Posthæc Schubartus Mariano Templo Pastor præfuit An. 1551. sequenti mox anno successorem nactus M. Joh. Titium, eodem Keselero teste, sed qui non addit, quo discesserit. Hinc tamen abiens, in aliis locis Deo Ecclesiam plantavit, donec in extrema senectute, & septuagenario major Lubenam abiret, ibique Pastor decederet Anno M. D. XXC. Die XX. Aprilis, ætatis XXCII. hoc ibidem Epitaphio condecoratus:*

Rev. Vir Pietate & Eruditione præstans Sebastianus Schubartus, Pastor hujus Eccl. placidiff. morte ex hac mortali vita evocatus est A. Christiano M. D. XXC. d. XX. M. Apr. æt. S. LXXXII. cum in Ministerio Evangel. vix. ann. plures quam L. Eccl. verò huic præfuisset Ann. non totos VII. Cujus Anima requiescit in Manu Filii Dei, Corporis autem Exuviae sub hoc lap. lætam Pastorum Resurrectionem expectant

Vivit Polo Doctor Salutis & Solo.

Primus Evangelii Doctor fuit ille Ducatus

Lignesii, præsens quem tegit iste Lapis.

Schubartus ille in mediis fluctibus turbarum Schwenckfeldianarum constitutus, quam ore redarguebat fanaticorum hominum sententiam, scripto etiam impugnaturus ac confutaturus,

urus, præsens conficiebat Opusculum, quo Mataæologiam Schwenckfeldianam solidis rationibus explosit, istique argumento pro ratione ejus temporis laudabiliter satisfecit. Dividitur in VII. Capita, quorum summa argumenta hæc sunt:

Cap. I. de Statu Controversiæ inter nos & Schwenckfeldianos.

Cap. II. de Homine naturali.

Cap. III. de Judicio spirituali.

Cap. IV. de Discrimine Verbi essentialis & oralis.

Cap. V. de Verbo Dei orali.

Cap. VI. de Christo unico Magistro.

Cap. VII. de vi & efficacia verbi oralis.

Si quis forte ipsa Autoris verba Germanica cognoscere malit, ea huc transferre non pigrabor.

1. Haupt . Sachen des Streits zwischen uns und den Schwenckfeldern.

2. Was der natürliche Mensch sey?

3. Vom geistlichen Urtheil.

4. Vom Unterscheid des wesentlichen / und des mündlichen oder gepredigten Wortes Gottes.

5. Das mündliche Wort Gottes.

6. Christus ist der einzige Meister.

7. Von der Krafft und Wirkung des gepredigten Wortes Gottes.

Ipsa quidem Tractatio, cum sit mere theologica ac polemica, historicique argumenti nihil in se contineat, ad Silesiæ Historiam non adeo videtur facere, nisi in quantum ad Controversias fidei, his locis agitata, notari meretur. Quo minus tamen opusculum illud hic præterirem, Præfationes, quas præmisit geminas, me impulerunt: Quarum etiam, quippe

recensione dignissimarum, ac inprimis posterioris rationem maxime habemus. Prior est apologetica, in qua Autor scriptio- nis rationem reddit, & quare id laboris in se suscepit, dicitque, factum non esse temere, neque ex fervore quodam animi impotentis, aut vindictæ cupidi; Sed maximis arduis- que de causis, ipsoque Caspare Schwenckfeldio identidem impellente: Qui non tantum Autoris Personam & famam, verum etiam officium, doctrinam ac vitam, præter omne meritum, multis modis sugillarit, linguaque maledica ince- ferit, ac omnium exposuerit contemptui. Tantum tamen ab- fuisse, ut ideo calamum stringere animum induxerit, ut poti- us divino Judicio convicia ista censuerit relinquenda; nisi in- gens damnum, atque etiam pernicies, gregi suo inde resul- tans, alia suassent, & ad declinanda scandala arma sugges- sissent. Hæc primæ præfationis summa capita sunt.

Posterior tota historica est, & Schwenckfeldianismi in Urbe Lignicensi ortum atque fata, quo verius, eo luculentius describit, partemque illam Historiæ Ecclesiasticæ Silesio- rum insigniter illustrat. Fundamentum ejus esse voluit No- ster dictum Paulinum 2. Corinth. XII. 3. *Et scio hujusmodi ho- minem, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit:* Cujus occasione, ab ultima Christianismi origine fata Ecclesiæ repe- ens, de hæresibus, quovis tempore in Ecclesiam illapsis, pri- mo generatim agit, deinde etiam speciatim recenset, quæ ra- tione Schwenckfeldianismus in Silesia, maximèque Lignicij propullulaverit. Narrat igitur, quæ sub initium Reformati- onis in Civitate Lignicensi acta sint, ab Anno 1522. ordiens. Scilicet Fabianum Eckelium in æde D. Virginis, & Mona- chum griseum in Templo S. Johannis, (ein Grau-Mönch in S. Johannis Kloster-Kirche oder grauen Kloster) quo nomi- ne se ipsum ianuit, ut supra monitum; tum etiam Valerium

Rosenhaynium ad S. Petri, nec non Johannem Sigismundum, in arce Concionatorem, cui Keselerus Werner cognomen- tum addit, errores Ecclesiæ primum indicasse. Anno 1524. utriusque speciei Synaxin cœpisse, principio quidem in tem- plo Cœnobii, deinde etiam in arce, cui Johannes ille Sigis- mundus monita Spiritu solatioque plena conjunxerit. Va- lentinum quoque Trozendorffium sæpenumero Goldberga abiisse peditem Lignicium, usuique fuisse atque emolumento Ecclesiæ. Postea Valentinum Krautwaldum, Canonicum eruditum, Lectorem vocatum, exorto diffidio de Sacramen- to Corporis & sanguinis Christi, omnium primum spiritu fa- natico abreptum, reliquos omnes eodem errore implicasse, præter Wenceslaum Kuchlerum, Concionatorem Petrinum, qui fanaticos illos appellare solitus est Prophetas Scholasticos. Accessisse deinde Spiritum alium, hominem Germanum, Se- bastianum nomine, qui in Krautwaldi familiam receptus, fa- mulumque agens, tela ab hero suo fabrefacta, una cum Schwenckfeldio evibravit.

Digreditur porro ad singularia istorum fanaticorum acta, refectum Pædobaptisnum, instituta Conventicula & Jejunia, insectataque somnia, pro oraculis habita atque venditata, quæ cœperint Anno 1526. Sed Revelationibus suis Vaticiniisque elusos, vulgique fabulam factos esse notabili exemplo decla- rat. Citharædus quidam, cui Ludovico erat nomen, scho- lis quoque illis intererat, eique præviis precibus ac jejuniis Re- velatio obtigerat, fore, ut Civis cujusdam filiam in matrimo- nium accipiat, repetitaque præparatione idem somnium vi- derat. Entheus ille conventus, habita deliberatione, a Spiri- tu factum esse concludit, monetque tribulem, appararet nu- ptias, convivæque invitare ne amplius dubitaret, aliter enim fieri non posse, quin idem Spiritus puellam etiam ad id ma-

trimonium sollicitet. Annuit credulus homuncio, omnibusque constitutis, sponsa deest; Neque etiam post longas moras, quibus a Spiritu adducenda erat, ea adveniente, mittunt ad Virginem, quæsitum, quid causæ sit, quod venire renuat? Illa Spiritus se consciam esse constanter abnuens, spem atque expectationem eorum fefellit. Quid facerent inani divinatione elusi vates? Quicquid ad geniale hoc convivium congestum erat, consumunt, & bonus ille Ludovicus, nec sponsus, nec maritus, nubem pro Junone amplexus, thalamum sponsa vacuum cogitur ingredi. Atque hujus generis nonnulla alia in medium profert. Tandem addit, quemadmodum Dux Lignicensis nido destructo, alios Pastores suffecerit, qui magno conatu sordes hæc Stenckfeldianas eluere laboraverint; Factaque Epicrisi ex infausto horum Prophetarum interitu, ad divina provocans Judicia, præfationem claudit.

Primus, quod sciam, scripti hujus mentionem publice iniecit, Orbique erudito ejus dignitatem commendatum ivit jam laudatus Dewerdecius, in præf. Siles. Numismat. p. 14. quod, cum ipsa raritas, atque etiam aliorum silentium, impressionem ejus dubiam reddant; pace Viri Reverendi, quem liber ille MStus possessorem agnoscit, MStis etiam accensere placuit. Cæterum de his atque aliis Schwenckfeldii asseclis conferri mereatur M. Gottlieb *Lieffmanni*, Pastoris nunc Zedliciani in Ducatu Wolav. erudita dissertatio, nuper recusa, de Fanaticis Silesiorum; &, præter cæteros ab eodem citatos, *Ælurius*, Glaciographiæ laudatissimus Autor, pag. 295. seqq. Vel etiam *Kesleri* Catalog. Pastor. Lignicens. additus ejusdem Concionibus pœnitentialibus, quas inscripsit, *das geistliche Buß-Haus*; cujus vero defectum supplet *Curiosus Silesius in Anim-*
ad.

adversion. p. 214. ubi Catalogus ille repetitur atque continuatur.

II.

GEORGII THEBESII Jcti

Opera.

Viri hujus Nomen, ab ipsis Musis Peplo Minervæ intextum, æternitati esse consecrandum, omnes boni cupiunt, & merita ejus, quibus Silesiam Ligniciumque suum sibi adeo devinxit, id ipsum jure suo postulant. Equidem vehementer falleret, si levi hac opella fieri id posse considerem, cujus laudes præconem longe digniorem sibi deposcunt. Facient illi, qui scriptis ejus, partui satis maturis, preloque tantum excudendis, obstetricias manus allaturi sunt. Mihi exiguas quasdam lineas Vitæ & Scriptorum ejus hic ducere constitutum est. Antiqua æque ac inclita est Thebesiorum familia, à Theologis ortum trahens, in quibus Johannes Luthero fuit coævus, cujus filius, Adamus, genuit Petrum, a quo susceptus est Georgius, Theologorum filius, nepos, pronepos, ipse quoque Theologus, & Templi Petro-Paulini apud Lignicenses Pastor, Consistoriique Ducalis Assessor. Huic debemus GEORGIUM Nostrum, Matre Hedwige Schwedneria Lignicii Anno 1636. Die 13. Januarii in lucem editum: Qui majoribus suis dignum se præbiturus, in ludo patrio, ductu Theophili Pitisci, Pro-Rectoris de pube literaria immortaliter meriti, scientias ac linguas sedulo imbibens, animum sciendi

endi cupidum æque ac capacem ita explevit, ut progressus in literis fecerit animadvertendos. Altiora deinde studia experiturus, Lipsiam concessit, quam tamen, non multum temporis illic hærens, Anno 1654. cum Argentoratensi commutavit Academia, Legum doctrinæ, at Philosophicis Mathematicisque scientiis conjunctæ, animum applicaturus. Quibususque adeo diligentem navavit operam, ut Anno 1660. Die 23. Februarii summos in utroque Jure honores obtineret, præviaque dissertatione inaugurali *de Scopelismo*, ingenii specimen haud vulgare ederet. Tum opportunum ratus, ut, quæ animo suo recondidisset bona, in aliorum quoque usus expromeret, Collegia instituit publica, quæ eum Philosophiæ Juriumque Doctorem probarunt optimum.

Sed Patriæ potius inservire satagebat, quam, facto per Lotharingiam, Galliam, Angliam, Germaniamque itinere, auspiciato repetens, Anno 1664. Tabulis Curia præficitur Notarius, atque Scholis Præses, insuperque Anno 1667. in senatum cooptatur. Dignitati tamen senatoriæ renunciatis, *Syndici* munus Anno 1672. in se recepit, eaque dexteritate, fide, industria, prudentiaque sustinuit, ut non urbi tantum, verum & Ducatui virtus ejus spectata fuerit atque probata, dignusque habitus sit, qui una cum Delegatis Lignicensibus, Bregensibus, atque Wolaviensibus, ad impetrandum pro constituendis Ecclesiis Scholisque Aug. Conf. Decretum, in aulam mitteretur Cæsaream. In publicis autem privatisque negotiis spartam, quam nactus erat, ita ornavit, ut, quod de Lazaro Spenglero, Syndico quondam suo, Norimberga, id de Thebesio quoque suo Lignicium vere prædicet: *Nomine fuit scriba Senatus, sed revera omnium Consiliorum Autor.*

Conjugio sibi jungebat Annam Blandinam KLUGIAM Anno 1661. ex qua filias suscepit quatuor, filiorum loco Generos,

neros, quoad vixit, geminos adeptus, Georgium Assmannum, JCtum, atque Godofredum Richterum, Theologum. Sed virum studiis laboribusque continuis indefessum, neque infirmitatibus, corpus perpetim lancinantibus, fractum, mors tandem, sed nimis propera, suis subduxit Anno 1688. Die 6. Septembris, postquam ætatem ad LIIF. annum produxisset. Laudes ejus copiose ornateque dixit Lignicensium quondam Chrysofostomus M. Andreas Baudisius in Parentalibus Thebesianis typis exscriptis, quibus hic plurima debentur.

De inexhausta Viri industria atque doctrina ingenii monumenta loquuntur, quæ in MStis reliquit satis ampla, argumenti tum Historici, tum Juridici, quæ jam in apricum proferemus. Haud parvi momenti errores ab Historicis patriæ, & præcipue a personato Lichtensternio admissos animadvertens Thebesius, ad corrigendos eos, optimis, quæ ab Historico postulari possunt, subsidiis instructus accessit, & labore immenso opus aggressus est. Nam e Tabularii Lignicensis documentis vetustissimis, & propemodum oblitteratis ac detritis, ipsis etiam Sigillis curate inspectis & probe pensatis, meliora edoctus, falsa omnia evertit atque eliminavit, dubia & obscura illustravit, historicamque veritatem firmis rationibus adstruxit. Sed tandem omnes difficultates feliciter eluctatus, in publicum edere, quæ meditatus erat, morte præventus, non potuit. Opera Historica passim quidem generali Annalium, vel Originum, vel Memorabilium Lignicensium inscriptione citari solent: Diverso autem ea gaudere ut argumento, ita & titulo, utroque tamen sibi invicem maxime affini, præter Excerpta quæ nobiscum communicata sunt, Dewerdeckii Silesia Numismatica abunde docet pag. 98. ubi & Memorabilia Urbis Lignicensis, & Genealogia Lignicensium Ducum ejusdem Autoris allegata leguntur: conf. Præf. ad Henelii Silesiogr. Renov. Duo ergo sunt Opera, quorum alterum Ur-

bis Lignicensis, alterum Dominorum ejus Res & fata idiomate vernaculo exponit: Hinc de unoquoque separatim agendum erit.

I.

Memorabilia Urbis Lignicensis.

- Cap. I. Agit de Populis, qui antiquitus Silesiam, maximeque Ducatum Lignicensem incoluerint.
- Cap. II. De Nomine & Origine Urbis Lignicensis, ejusque amplificatione, munitione ac situ.
- Cap. III. De Ædificiis sacris.
- Cap. IV. De Ædificiis profanis, Civitatisque Regimine, Lingua, & vivendi ratione.
- Cap. V. De Variis Calamitatibus, quæ Urbem bello, igne, aqua peste sæpe affixerunt.
- Cap. VI. De Urbibus Circulorum, aliisque quæ pertinent ad Ducatum Lignicensem extra Provinciam.

Non pauca ex isto opere leguntur in altera parte Nuclei Chronicorum Silesiæ (*Rern Chronica*) pag. 251. - 274. ubi Lignicensis Urbis descriptionem ex ipso hoc MSto compilatam esse, utriusque inter se collatio manifeste prodit, ita quidem, ut Cap. II. III. IV. & V. in epitomen redacta ibi exhibeantur, omiſſa Autoris, ex quo omnia hausta sunt, mentione.

In altero opere recensendo, quod duabus partibus, earumque prior Capitibus LXV. absolvitur, ambigenti mihi, quam viam ingrederer, nimia rerum multitudo ac prolixitas suaserat, ut verba Autoris Germanica, quæ initio huc adscribere libuit, in summam contraherem, & per compendium tantum præcipua eorum Capita traderem. Sed intercessit huic proposito alia suadentium Consilium, qui magis e re fore censebant, si integra apponerentur summaria, latinitate tantum donata, ut quorum ea scire interesset, interruptam rerum seri-

seriem possent cognoscere: Quibus & ego calculum meum ad-jicere non dubitavi.

2.

Vitæ & Gesta Ducum Silesiacorum,
inprimis Lygio - Bregensium.

PARS PRIOR.

- Cap. I. De Ducum Lignicensium Origine a Piaſto, & eum sequentibus Regibus Poloniæ.
- Cap. II. De Boleslao coronato Rege Polonorum, ejusque disciplina militari. Casimirus Monachus Rex eligitur, & Boleslaus trucidat S. Stanislaum.
- Cap. III. De Ducum Lignicensium & Silesiacorum omnium Progenitore Vladislao, ejusque connubio in aula Henrici V. nec non de ejusdem patre Boleslao III. & divisione regni Polonici.
- Cap. IV. De Vladislao & tribus illius filiis, Boleslao Alto, Mieslao, & Conrado, & qua ratione Ducatus Silesiæ ipsis cesserit.
- Cap. V. Boleslaus, defuncto fratre Conrado Glogoviensi, inferiorem Silesiam totam hereditate accipit, hinc a Mieslao Ratiboriensi, suoque etiam filio Jaroslao vexatur bello. Henricus Barbatus uxorem ducit S. Hedwigen.
- Cap. VI. Jaroslaus, Boleslai Alti filius ex conjugio priori, armis tuetur Mieslaum Senem, Ethnarcham Poloniæ, Episcopus creatur Vratislaviensis, Episcopatus terram Nifensensem addicit, moritur, quem subsequitur pater Boleslaus Altus.
- Cap. VII. Henricus Barbatus, Boleslai Alti filius, Dux factus Lignicensis & totius Silesiæ inferioris, quin etiam Ethnarcha Poloniæ.

- Cap. VIII. De Henrici Pii liberis, & multis Cœnobiis Templisque excitatis, nec non de Henrici Barbati bellis, & suprema tutela Poloniæ.
- Cap. IX. Henricus Barbatus constituitur Tutor atque Ethnarcha Polonis, sed inter maxima bellorum discordia.
- Cap. X. De Henrici Pii Ethnarchæ Silesiæ & Poloniæ majoris Regimine, & irruptione Tartarica.
- Cap. XI. Tartari dividunt agmen, ac rursus Poloniam & Hungariam invadunt, e Polonia egressi, redeunt, Henricus Pius adversus eos arma capit, illi Cracoviam, & inde Vratislaviam usque penetrant.
- Cap. XII. Tartari relicta Vratislavia, Lignicium petunt, ubi cruentum prælium committitur, ipsi in Hungariam retrocedunt, Germaniam metu liberantes.
- Cap. XIII. Circumstantiæ, quæ præcesserunt prælium, excutiuntur, Tartari in Hungariam regressi, ad Olomucium cæduntur.
- Cap. XIV. Henrici Pii quatuor filii, matris Annæ Cura & Tutela gaudent, Boleslaus Ethnarcha Poloniæ repulsus, Poloniam majorem amittit.
- Cap. XV. Henrici Pii filii inter se dividunt Silesiam inferiori. Henricus III. Lignicensi territorio potitur, quod tamen cum Vratislaviensi permutare cogitur a Boleslao Calvo.
- Cap. XVI. Boleslao tres filii nati, nova belli semina adversus Vratislaviam, Inopia Boleslai Calvi, Primislaus Dux Poloniæ majoris, Conradum in partem suam Silesiæ inferioris restituit; Boleslaus Calvus Episcopum Vratislaviensem capit, & excommunicatur.
- Cap. XVII. Boleslaus Calvus Lignicensis, fratrem suum Conradum Glogoviensem captivum, ipse capitur. S. Hedwigis Canonisatio Henricus III. Vratislaviensis obit, item-

- que Archiepiscopus Vladislaus. Henricus IV. ex asse heres, sed bello petitus a Boleslao Lignicensi, capitur.
- Cap. XVIII. Mortua uxore Boleslai Calvi, ille ad secundas nuptias transit. Henricus IV. Vratislaviensis Cæsari se subdit; Hinc bellum, sed infeliciter gestum. Rex Bohemiæ litem dirimit, Boleslaus decedit.
- Cap. XIX. Boleslai Calvi filii duo partiuntur provincias. Henricus V. Lignicium nanciscitur, & Bolco seu Boleslaus Monstbergam & alias terras. De Henrici IV. Convivio, quod in gratiam Henrici V. Lignicensis, Henrici Glogoviensis, & Primislai Poshaniensis instituit. Henricus IV. Episcopum Vratislaviensem expellit, una cum Clericis. Henrici V. liberi, atque bellum cum Ducibus Polonis de summa imperii.
- Cap. XX. Henricus IV. Probus, Dux Vratislaviensis moritur improlis. Henricus V. Dux Lignicensis, Vratislaviensem Ducatum accipit, invito Conrado Glogoviensi, qui ei bellum infert, tandemque capto, crudeliterque habito magnam partem terrarum extorquet.
- Cap. XXI. Henricus Crassus Vratislaviensis, squalores Carceris, quamvis liberatus, perferre nequit, Boleslaum Suidnicensem Liberis suis Tutorem constituit, eidemque Sabothum Montem donat, ac diem obit supremum.
- Cap. XXII. Henricus Wirbenus, Episcopus Vratislaviensis, Ducum Lignicensium tutor. Boleslaus III. matrimonium init, bellumque suscipit.
- Cap. XXIII. Boleslaus III. Dux Lignicensis, Johannem Regem Bohemiæ adit, rediens a Conrado V. Olsnensi extortas patri suo Henrico V. urbes & terras recuperare tentat.
- Cap. XXIV. De divisione Provinciarum, in qua Boleslaus III. Ducatum Bregensem adipiscitur, Henricus VI. Vratislavi-

- laviensem, & Vladislaus Lignicensem, quem tamen hic mox Boleslao reddere cogitur.
- Cap. XXV. Vladislaus fratri Boleslao bellum infert, sed reinfeliciter gesta bis capitur.
- Cap. XXVI. Boleslaus Lignicensis acerrimo bello persequitur Conradum I. Olsnensem, paternasque urbes recuperat, sed misericordia ductus Conrado terram Wolaviensem reddit.
- Cap. XXVII. Boleslaus ære alieno obrutus, urbes quasdam oppignorat. Rex Bohemiæ Silesiæ inferiori inhiat. Boleslaus Henricum Vratislaviensem fratrem bello vexat, eoque impellit, ut Regi se subjiciat, cujus exemplum sequuntur Duces alii.
- Cap. XXVIII. Boleslao novæ suboriuntur curæ, tertio fratre Vladislao e Masovia redeunte, Regique Jus suum in Ducatum Lignicensem vendente. Boleslaus fratrem Henricum oppugnat, seipsum tamen submittit, uxoremque amittit.
- Cap. XXIX. Vladislaus Locticus in Silesiam irrumpit, Costam expugnat. Boleslaus Goldbergam & Haynam de novo oppignorat, imo Lignicium & suos filios: Id quomodo intelligendum disquiritur.
- Cap. XXX. Wenceslaus nuptias celebrat, & pater Boleslaus, qui Bregam Olaviamque reluit, & Cœnobium Bregenſe excitat. Pax inter Polonos & Silesios.
- Cap. XXXI. Henrici Vratislaviensis mors, Ducatus cum Comitatu Glacensi Bohemiæ cedit. Nankeri Episcopi diffidia cum Rege Johanne, quibus Boleslaus etiam implicatur, & excommunicatur.
- Cap. XXXII. Lignicium & Haynâ Confirmationem Privilegiorum ab Hypothecariis suis Vratislaviæ accipiunt. Nankerus Inquisitorem advocat, qui occiditur. Parricidæ

- cidæ Lignicii comprehenduntur, & mortuo Nankero, jussu Boleslai traduntur novo Episcopo.
- Cap. XXXIII. Boleslaus pignori ponit Grottkoviam Episcopo & Capitulo: Ducatum vero Lignicensem oppignorat & ære alieno satis gravatum, filiis Wenceslao & Ludovico tradit.
- Cap. XXXIV. Ludovico primus filius Henricus Stigmatias nascitur; Johannes Rex Suidnicium obsidet. In Ducatu Lignicensi Aurifodina aperitur. Wenceslaus & Ludovicus facta partitione separantur.
- Cap. XXXV. Wenceslaus fratrem Ludovicum privat Lignicensi Ducatu, æs alienum contrahit, urbes oppignorat, Namslaviamque vendit. Carolus Cæsar Vratislaviam venit.
- Cap. XXXVI. Boleslaus Bregenſis vita defungitur; Wenceslao I. Lignicensi filius primogenitus Rupertus nascitur, hinc fratrem Ludovicum penitus expellere tentat.
- Cap. XXXVII. Wenceslaus fratrem vehementer persequitur, post obitum novercæ urbes Bregenſes pignori ponit. Carolus IV. Cæsar eos quidem conciliatos separat, absque tamen simultanea investitura feudali.
- Cap. XXXVIII. Wenceslaus obit, ejus quatuor filii a Ludovico I. fratre & tutore fideliter educantur.
- Cap. XXXIX. Ruperti, defuncti Wenceslai filii Matrimonium, Conjugi dotis nomine Lignicium addicit, administrationem Ducatus suscipit suo & fratrum nomine. Patruus & tutor Ludovicus Bregenſis a Rege Wenceslao amissam investituram simultaneam impetrat pro Linea utraque Lignicensi & Bregenſi.
- Cap. XL. Rupertus, Wenceslaus, Boleslaus & Henricus Lignicenses & Goldbergenses sororem Hedwigen nuptui collocant. Rupertus aliquot doliis cerevisiæ Suidnicensis, quam-

quamvis innoxius, magnas lites inter Clerum & Urbem Vratislaviensem, ipsumque Wenceslaum excitat. An Rupertus Anno 1390. defunctus sit, & Henricus Stigmatias successerit.

Cap. XLI. Boleslaus IV. Lignicensis in torneamento cadit. Rupertus filiam elocat Duci Saxoniae. Ludovicus I. Bregensis moritur, ut & Henricus Lignicensis, Episcopus Vratislaviensis.

Cap. XLII. Hussitarum initia, diffidatores in Silesia, quibus Rupertus resistit. Num Rupertus in terram sanctam profectus sit, nec non de Ludovici itinere sacro, ejusque captivitate.

Cap. XLIII. De morte Ruperti Ducis Lignicensis; & Wenceslai II. Episcopi Vratislaviensis, ultimi Ducis Lignicensis, lineae Wenceslaicae, Regimine, & quibus modis Lignicensem Ducatum Ludovico II. Bregensi addixerit.

Cap. XLIV. Ludovicus II. Bregensis spe potiundi Ducatus Lignicensis cum terris Goldbergensibus confirmatur, unde Henricus IX. Lubenensis bellum movet. Ludovicus ad Imperatorem Sigismundum proficiscitur.

Cap. XLV. Conjux Ludovici II. obit, ipse cum Caesare in Germaniam migrat, ad Concilium Constantiense venit.

Cap. XLVI. Ludovicus II. uxorem ducit, Goldbergam a fratre Henrico IX. redimit, totoque Ducatu potitur. Wenceslaus Episcopus fato fungitur.

Cap. XLVII. Ludovicus II. Uxori Ducatum Lignicensem doti dicit, & Carthusianis Monasterium condit.

Cap. XLVIII. Ludovicus II. Lignicensis, & Ludovicus III. Lubenensis, & Silesia universa, ab Hussitis infestantur.

Cap. XLIX. Ludovicus III. Lubenensis contra Hussitas pactio- nem facit. Urbs Lignicensis circummunitur amplius; De magno tormento Lignicensi. Quando Ludovicus III. Luben-

benensis ejusque frater Rupertus, Teutonici Ordinis Magister, demortui sint.

Cap. L. Hussitae suis ipforum gladiis petiti, in Silesia sensim atteruntur. Ludovicus II. rebus humanis exemptus, masculam prolem non relinquit.

Cap. LI. Ludovici II. liberi, eorumque Conjugia. Nemo succedit in regendo Ducatu Lignicensi, praeter Conjugem, quae principi Teschinensi nubit.

Cap. LII. Vidua Elisabeta mortua, Duces Lubenenses a successione Ducatus Lignicensis, jussu Imperatoris arcentur.

Cap. LIII. Urbs Lignicensis sequestro traditur, & Caesarem ejusque pupillum Ladislaum aequae respicit, ac Duces Lubenenses, qui Civitatem ad Homagium praestandum literis monent.

Cap. LIV. Lignicensis Civitas Caesareis Commissariis Juramentum praestare cogitur, acceptis tamen Reverfalibus, Juribusque Ducum illaesis.

Cap. LV. Johannes Bregensis & Lubenensis graviter succenset urbi, ob juratam Ladislao fidem, bello eam adoritur, sed profligatur.

Cap. LVI. Ladislaus Rex Bohemiae urbi insignia concedit Privilegia, fidem ejus laudat, & Ducatum tanquam feudum apertum sibi vendicat.

Cap. LVII. Johannes Lubenensis Jura sua in Ducatum Lignicensem propugnat, literis Civitatem mitioribus commovere studet: In quo lis illa feudalis consistat. Johannes moritur.

Cap. LVIII. Populus Lignicensis post obitum Johannis, tam diturnae litis impatiens, insurgit in senatum, Viduam Johannis cum filio Friderico I. solenniter introducit, & Consul Lignicensis Ambrosius Bitsch capite plectitur.

Cap. LIX. Hedwigis tutorio nomine Ducatum gubernat. Georgius Podibradius Rex Bohemiae & Nobilibus & Civibus

bus Confirmationem Privilegiorum promittit, si Ducatus Lignicensis sibi adjudicetur, id quod etiam Hedwigis pollicetur.

Cap. LX. Fridericus I. domum rediens ex aula Onolsbacensi, Pragam proficiscitur ad ministeria regis, a quo tamen remissionem Prætensionis in Ducatum Lignicensem impetrare nequit. Tandem a Rege Hungariæ Matthia impetrat, fit princeps sui Juris, finita lite feudali.

Cap. LXI. Fridericus I. Castra Matthiæ sequitur, & in exercitu ejus stipendia facit, administratione Ducatus matri relicta.

Cap. LXII. Idem rei familiaris curam gerit, variaque ædificia struit. Reges Poloniæ & Bohemiæ in Silesiam irrumpunt, Vratislaviam frustra obsident.

Cap. LXIII. Fridericus I. Georgii Regis Bohemiæ filiam uxorem ducit, pergit ædificando, & postea in aulam Brandenburgensem abit.

Cap. LXIV. Idem Civitati Lignicensi, ob cædem suorum, vehementer irascitur, tamen ignoscit. Regis locum tenens, seu summus Capitaneus, ob bellum Glogoviense, in magnas turbas incidit, atque fatis concedit.

Cap. LXV. Ludomilla Georgii regis filia, Friderici I. vidua, Ducatus administrat filiorum pupillorum nomine.

PARS POSTERIOR.

In Capita distincta non est, sed observata annorum serie, quatuor Ducum vitas & gesta Autor describit, Friderici II. Friderici III. Henrici XI. & Friderici IV. incipiens ab Anno 1499. quo Fridericus II. imperium in Ducatum capeffivit, ad Annum usque 1599. Friderici IV. emortualem. Ne vero quis miretur, cur reliquorum Ducum Historias non superaddiderit, telamque ad sua tempora pertexuerit; sciendum est, Thebesii institutum fuisse, antiquæ tantum Historiæ nævos emendare e documen-

cumentis vetustis, hincque Vitas Ducum veterum meliori certitudine sistere. Accedit, quod Ducum illorum, quos intactos reliquit, Acta non adeo perspecta fuerint Nostro, quippe qui sedem Lignicii non habuerint: Quorum expositionem Bregensibus potius reliquit, quibus ad secreta Chartophilacii facilius aditus fuerit.

Mira autem accuratione conscriptam esse hanc Ducum Historiam Dewerdeckius asserit Sil. Num. pag. 98. deque ejusdem editione propediem expectanda in præfat. p. 16. opinione augurans, salivam movit earum rerum cupidis. Et, ut hoc addam, præter documenta Literarum atque Instrumentorum publicorum, quorum ope ipsa rerum momenta altius excussa sunt atque examinata, alia quoque testimonia, vel corroborandis, vel illustrandis rebus, in subsidium vocantur, ac imprimis Monumenta Principum publica cum Inscriptionibus, ipsæque Ducum Principumque Imagines inde depictæ exhibentur: Unde etiam figuræ quædam æri incisæ in alteram partem Nuclei Chron. Sil. supra memorati transferunt. Nihil superest, nisi ut claudamus voto Viri Clarissimi CHRISTIANI STIEFFII, Gymnasii nostri Magdalenæi Pro - Rectoris ac. P. P. *Exorandi certe sunt, scribentis, publico quasi nomine Thebesiani heredes, ut ultima tandem operi manu admota non diutius in cancellis premant doctissimas tanti viri curas, neque frustrentur vota civium, qui nobilissimum Auctorem, subsidiis omnibus, que ad istiusmodi opus necessaria videntur, multifariam instructum, correxisse noverunt diligenter atque copiose illorum errores, qui Ducum, imprimis Lygio - Bregensum, Historiam innumeris hætenus mendis fædarunt.* In Epistola de Urnis Lignicensibus pag. 3. Vel denique cum Viro Clarissimo JOHANNES SINAPIO, conjunctarum Scholarum Lignicii Rectore, optandum: *Ut, qui ad Opus doctissimum typis exscribendum, publicæque luci exponendum necessarios ferat sumtus, reperiat.* In Programmate, quo Silesiæ ab Idolomania Conversionem in scenam

nam dandam An. 1710. indixit, ipsumque opus hoc, exemplis quibusdam in medium allatis, merita laude prosecutus est.

Tantum vero abest, ut meritissimum Thebesium, immortalis famæ virum, dimittamus, ut potius tertium ejusdem Codicem MStum, argumenti, ut supra dictum, juridici, *de Jure Hortorum* inscriptum, adjiciamus. Historiam quidem Silesiæ directe non videtur tangere Tractatus ille, cum ex vario Jure, & universa re agraria materiam hanc definiat, paucis exceptis, quæ e Consuetudinibus Silesiæ admixta habet: Nolui tamen eum divellere a superioribus scriptis, cum ob multijugem, quam ubique spirat, doctrinam, dignus utique sit, qui post tantam noctem, qua in tenebris delituit, notitiamque eruditorum penitus fugit, una cum cæteris in lucem protrahatur publicam, quo celeberrimus Autor ex hoc quoque aliquod operæ suæ ferat pretium. En tibi Titulum integrum:

3.

TRACTATUS De Hortis, & eorum Jure.

In quo de Jure Principis & Magistratus in Hortos nostros, de Legibus hortensibus, literis vindemialibus, de prohibitione horticulturne varia, de Jure pertinentiarum, servitutum, Ususfructus, & cujuslibet Juris in re, de contractibus variis, de Jure finium, murorum, parietum, sepium, ædificiorum, fenestrarum, aquæductuum, sulcorum, puteorum, de cultura horti vera, superstitiosa & magica, in specie de Scopelismo, de Jure instrumentorum agrestium, operariorum, expensarum, fructuum, de Jure fori olitorii pomarii, vinarii, de furtis, damno dato, decimis, tributis, denique de omni re agraria copiose agitur, omnesque Controversiæ hortenses,

ses, decisionibus Legum, Doctorum, Statutorum, dicasteriorumque perpetuis, in terminis, ut vocant, terminantibus, firmantur. Cui accessit *Nomenclator Jure Consultorum Pseudonymorum*: Denique Index Rerum & verborum locupletissimus.

Ipsium Opus Capitibus CXXII. constat, plusque in recessu habere videtur, quam in fronte promittit. Forsitan non sine voluptate quis leget exposita Hortulanorum officia, & qui inter viros principes hortos coluerint: Quid habendum de Theologorum atque Monachorum, item Jcutorum, cæterorumque literatorum hortis: De Gæa Silesiorum, *Mu- oder Unger-Recht*: De Jure fructuum ex vicini horto propendentium, vulgo *U-berhang*: De culturæ speciebus magicis, incantatione, & in specie de Scopelismo & *λιδουαντεία*. Ubi notandum, Autorem disputationem de hac materia in Academia Argentoratensi publice institutam, quod supra diximus, successu temporis magis exasciatam, & contra objectiones firmatam huic ipso operi inseruisse. Idem quoque argumentum de Scopelismo, Arabum crimine, *Job. God. Baro*, U. J. D. & Practicus Vratislaviensis, in Academia viadrina An. 1704. dissertatione fusissime exposuit, & Mantissa peculiari illustravit uberius: Sed qui in plurimis a Nostro dissentit. Ille enim, ut hoc adjiciam, scopelismum definit: *Crimen extraordinarium, ab eo commissum, qui sub lapidibus, aliave materia malas abscondens artes, accedentes malo letho perire conatur*. Hic vero: *Crimen extraordinarium lapidum positu minas lethales agrum culturis significans*. Quæ vero inter utramque definitionem intercedat differentia, breviter expositum leges in *Novis Liter. Germ. An. 1705. p. 126*. Nos litem hanc aliis dirimendam relinquentes, plura prolixitatis vitandæ causa non addimus, tandemque a Thebesio abcessuri, huic quoque MSto fata meliora aprecamur.

III.
VOLCKMANNIANA
Phytologia.

CAsparem Schwenckfeldium, non fanaticum illum huic cognominem, sed Medicinæ Doctorem, Naturæque Scrutatorem experientissimum, Elogiis suis nunquam non profecuta est patria Silesia. Ob Historiam hujus terræ naturalem, ante hoc, & quod excurrit, seculum conditam, a nemine antea tentatam, post hunc etiam fere ab omnibus relictam, Silesiæ Plinius audit. Omne punctum tulit scriptis suis, seu Stirpium & fossilium Silesiæ Catalogum, seu Theriotropheum Silesiæ seu denique Thermarum Hirschbergensium descriptionem respiciamus; & quam alii forte in iis incusarent, ipse quoque agnovit, imperfectionem, neque omnibus numeris absoluta jactitavit: Potius eo fine edidit, ut doctioribus se ulterius progrediendi occasionem præberet. Mirum ergo fuerit, cur post excessum ejus nemo lucubrationes illas resumserit, & quæ deficerent, pari industria & cura persecutus sit. Equidem non dubito, multos hisce studiis insudasse, & in iis Physicum quondam Nostratem celeberrimum, *Carolus Oehmbium*, ut patet e Scholiis Silesiogr. Renov. Cap. III. Quin imo Autorem ipsum successu temporis prætermissa superadditurum fuisse, nisi mors eum præmatura intra quadragesimum sextum ætatis annum occupasset. Sed maximis difficultatibus, quibus hujusmodi studia sunt obnoxia, plurimos deterritos laborem hunc reformidasse, nemo facile inficias ibit. Vicit tamen omnes difficultates, omnesque omnium conatus *VOLKMANNORUM* insuperabilis industria.

In his familiam ducit Pater, *ISRAEL VOLKMANNUS*, Phil.

&

Med. Doctor, & Lignicensis urbis Practicus, *Johannis*, Pastoris Nicolopolitani filius, quem Anni 1636. Decembris sextus dies, Nicolao in fastis sacer, Nicolopoli, vico Lignicensis Ducatus aurifodina quondam celebri, in auras vitales produxit. Sed belli tricennalis calamitas a natali arena extorrens fecit, missumque securitatis gratia nocturno tempore cum liberis reliquis in urbem Lignicensem, parentes, a grassantibus militibus aliquoties expilati, eodem secuti sunt, ibique exilii difficultates morte finierunt. Vix octennis patrem amisit, sed a tutoribus, curam ejus gerentibus, primum Lignicensi Scholæ expolendus traditur, & An. 1650. Vratislaviam missus, ut in Elisabetano Gymnasio artibus ingenuis vacaret, elapso quinquennio, ad Musas Lipsienses pedem movit, ibique laudabile rursus quinquennium studiis medicis philosophicisque insumsit, ac denique Academicis laboribus colophonem impositurus, An. 1660. Italiam petiit, Pataviique honoribus Doctoris exceptus est. Hinc Patriæ, & quibuscumque opem poscentibus inserviturus, medicam artem Lignicii exercebat, prudenter juxta ac feliciter. Bis nuptias celebravit, ex primo conjugio novem liberorum factus parens, ex altero improlis; Sed ex liberis omnibus non nisi unico filio, *GEORGIO ANTONIO*, Philos. & Med. Doctore, & Poliatro Lignicensium celeberrimo, Numinis præpotentis beneficio hodiernum (utinam quam diutissime!) superstite. Tandem laborum vitæque satur Anno 1706. ætatis vero 72. Februarii 5. die decessit, sequenti decimo terræ matri illatus, cujus ossa, ubi reposita jacent, famæ celebritate efflorescunt. Illustrabunt hæc amplius Inscriptiones geminæ, publicitus conspicuæ, quas subjicimus.

I.

Inscriptio Monumenti Marmorei

Viro

Nobiliss. & Doctiss.

DN.

III. VOLCKMANN.

DN. ISRAELI VOLKMANN,
Medico felicissimo,
Botanosopho clariss.
Parenti charissimo

A. M. DCCVI. D. V. Febr. beate mortuo
Annos LXXI. H. 8. D. 5. nato
In debitæ Gratiud. & filial. Pietat.

Testimon
lugens hoc posuit
Ex primo Conjug. primus, & ex 9. Liber. superstes
ultimus
Filius
G. Ant. Volckmann, D.

II.

Inscriptio sepulcralis.

Miseria Hominis moritur
non Homo.

Sic omnem suam quoque Miseriam & perpes-
sas ærumnas
Hic deposuit

ISRAEL VOLCKMANN, Phil. &
Med. Doct.

A. 1706. D. 10. Febr.

postq. in primo Conjugio vixit

C. URSULA MARIANA SCHULTESS.

q. Liberor. prolifico, ann. 24. m. 6.

in secundo absque prole

C. JOHANNA ELISAB. LANGIN
de Langenau

Ann. 16. H. 3. D. 5.

Memoria Ejus sit in Benedictione.

Hic

PHYTOLOGIA.

Hic seu Schwenckfeldii æmulandi continuandique, seu novi operis pangendi cupidine incensus, Botanico studio totum se dedebat, ac Anno 1666. primam operi manum admovens, Silesiæ montana conscendit, & inprimis Gigantæum montem, locisque illis sedulo perreptatis, quicquid plantarum, radicum, florum, seminumque invenit, curiose collegit ac notavit, eorumque vires rimatus, ad usus varios, præcipue vero medicum, accommodavit, hacque ratione plantis dijudicandis vicennium integrum incumbens Anno 1686. labori acquievit, Filioque patrisanti in stadio hoc decurrendo lampada tradidit. Is etiam, velut novus Atlas, pari conatu hisce studiis institit, observationes patris auxit, atque ad hæc tempora continuavit, insuperque, quod maximum Operi decus, atque etiam pretium conciliat, plantas, radices, flores, fructus, semina, elegantissimis picturis, vivas mentientibus, expressit. Nec contentus indigenis Herbis, exteras etiam atque exoticas addidit, sicque universæ rei herbariæ thesaurum locupletissimum contulit, quem ideo non incongrue *Phytologia magna* nomine insignivit. Tandem vero labor ille, semisecularis propemodum, vastissimum opus decem Voluminum in folio peperit, cujus jam brevem recensitionem sistimus, titulo e Præfatione Silesiæ Numismaticæ repetito.

Phytologia Magna.

X. Voluminibus comprehensa.

Continens nitidissimas picturas, accuratissimasque delineationes Plantarum, vivas æmulantes, additis earum nominibus, Synonymis, locis natalitiis, notis genericis & specificis, viribus, Usu medico-chymico-mechanico, nec non quibusdam observationibus, atque Indice duplici, generali altero nominum & Synonymorum, altero affectuum, An-

K

no

no 1666. inchoata, & ad Annum usque 1686. continuata ab ISRAELE VOLCKMANNO, D. Dein ab Anno 1687. usque ad Annum 1710. adaucta & absoluta à

G. ANTON. VOLCKMANNO, D.
Israël. Filio.

- Cap. I. agit de Etymologia Plantarum.
Cap. II. de earum Definitione & Divisione.
Cap. III. de partibus plantarum, radice, caule vel caudice, fundo & folio.
Cap. IV. de floribus, eorumque variis differentiis & partibus.
Cap. V. de fructibus & seminibus.

Postea methodo Tournefortiana plantæ omnes in varias classes distribuuntur, quarum singulæ varia genera complectuntur: Quibus additur specialis plantæ cujusvis quoad floris & seminis structuram exactissima Alphabetico ordine descriptio. Denique hæc excipiunt plantæ ipsæ, viva ad exemplaria adumbratæ, & in X. Tomos distributæ, cum earum nominibus, synonymis, viribus & usu, duplicique Indice, altero nominum & Synonymorum, altero affectuum, atque Syllabo Autorum & librorum in Phytologia citatorum atque usurpatorum. Verum ex isthac adumbratione præstantia operis haudquaquam cognoscetur, nec sine inspectione aut evolutione justum ei pretium statui poterit. Si enim laborem spectamus, inimitabile est; si pretium, inæstimabile; si editionem, spes omnino nulla, regios enim sumtus postulat. Sed tamen Bibliothecæ cuidam celebri inferri mereretur, cujus certe splendidissimum foret ornamentum ac Cimelium. Nec difficile futurum Autorem Doctissimum in vendendis illis voluminibus intelligimus, si quis fuerit, qui digno ea pretio sit redempturus.

[Aft

Ast non substitit in hoc, quamvis fatis laborioso atque operoso conatu, Viri celebratissimi sedulitas; Sed & alia Naturæ admiranda idem *GEORGIUS ANTONIUS VOLCKMANNUS* investiganda ac contemplanda animo proposuit. Ut enim jam non dicam de cura in effodiendis delineandisque Urnis sepulcralibus, in agro Lignicensi reperiundis, adhibita; Quem propterea supra laudatus *Stieffius* Noster in sua de Urnis Lignicensibus Epistola, meritis præconiis maectavit: Illud tantum addo, duobus adhuc Scriptis Naturalem Historiam adjutum ivisse, nempe *Historia Conchyliorum*, & *Ornithologia*, quarum nunc sequuntur argumenta.

Historia Conchyliorum.

- Liber I. agit de Conchytiis, seu Conchis petrefactis.
II. de Cochleis seu Conchis univalvibus terrestribus.
III. de Conchis bivalvibus fluviatilibus, seu Musculis & Mytulis.
IV. de Conchis marinis bivalvibus, uti sunt: Ostreæ, Pectines, Tellinæ, Pinnæ, Conchæ margaritiferae, Aures marinae, Musculi, Patellæ.
V. de Conchis marinis univalvibus, ut sunt: Conchæ Veneræ, Rhombi, Buccina, Trochi, Cochleæ, Nautili, Neritæ.

Ornithologia.

- Pars I. de Avibus villaticis.
II. de terrestribus.
III. de aquaticis.
IV. de inutilibus.
V. de altivolis.
VI. de rapacibus.
VII. de nocturnis.
VIII. de exoticis.

K2

Ha-

Haftenus ista. Sed duo sunt, B. L. quæ Te latere nolim, antequam hinc discedamus. Primum quidem, me errores, a quibus immunem me haud esse non diffiteor, aut etiam defectus insigniores, quæ meam fefellerunt notitiam, supplemento quodam, si Deus vires annosque porro concesserit, esse emendaturum, modestè inprimis a Te, quod ab aliis quoque factum gratus agnosco, monitum. Alterum est, quod animus mihi fuerit Scripta Rhonii, rarenter admodum obvia, a multis tamen quæsitæ, incudi reddere, Scholiisque, ob brevitatem Autoris, illustrata denique edere. Cum autem vererer, ne, quæ commentatus essem, verba Rhonii nonnunquam prolixius excederent, nauseamque legentibus crearent; Consilium de nova editione opusculorum Rhonianorum non quidem penitus abjeci, sed tamen absque ullo Commentario id, favente Numine, me facturum esse recipio: Interea vero scripta pleraque, quæ in tribus Epistolis Rhonii aliquanto brevius sunt tractata, in Miscellaneis hisce uberius in posterum persequar, idque non eo, quo ibidem leguntur ordine, sed arbitrario. Omnes itaque, quotquot studiis nostris favent, rogantur obsecranturque, ut, si possideant *diversorum* quædam Rhoniana, quæ jam editis inserviant illustrandis locupletandisque, benevole, humaniter, candideque impertiant, meque ad mutua humanitatis officia promptum paratumque sibi polliceantur.




CHRISTIANI RUNGII
MISCELLANEA
LITERARIA

De

Quibusdam Historiæ Silesiacæ Scripto-
ribus, ac ineditis eorum
Operibus.

Specimen IV.



WRATISLAVIÆ

apud MICHAELEM HUBERTUM. 1717.

CHRISTIANI RUNCII
MISCELLANEA
LITTERARIA

Quibusdam Historiæ selectæ scripto-
ribus ac medicis eorum
Operibus

Specimen IV.



MICHAELI HUBERTINO
MUTREBUH MELIACIM

VIRO
SUMME REVERENDO,
AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,
DOMINO
GE. TEVBNERO,
THEOLOGO CONSUMMATISSIMO,
AEDIS MARIAE-MAGDALENÆÆ IN
VRBE VRATISLAVIENSI
PASTORI,
ET
CONSISTORII ECCLESIASTICI AVGVST. CONFESS.
ASSESSORI,
DOMINO AC PATRONO
SVO
SANCTE VENERANDO
SACRVM.



TAmetsi causa non una fuit, VIR
SVMME REVERENDE,
quæ me impulit, ut Nomini
TVO schedia hæc inscribe-
rem, illisque Dignitatem conciliarem:
eam tamen potiolem esse existimo,
quod de primo Evangelicæ Doctrinæ
apud Nos Interprete, JOHANNE
HESSO, verba mihi facturo, TV, suc-
cessor illius longe dignissimus, non ima-
ginem aut umbram quandam, sed ipsam
Hessi Personam referre videaris. Quæ
enim hunc suavitas oris ac vocis com-
mendavit, quæ doctrinæ perspicuitas,
&

& divini eloquii dulcedo animos Audi-
torum velut Herculis Ogmii catenis si-
bi devinxit, eas in TE, non Metempfy-
chosi Pythagorica, sed divino quodam
afflatu, migrasse atque confluisse, non
modo cernimus, sed vel quotidie audi-
mus atque animo percipimus. Acce-
dit, quod ipsa Hessi dogmata sub auspi-
ciis gravissimi, quod nunc summa cum
celebritate sustines, Muneris TE velle
sequi receperis. Et quam vere *Exem-
plar Doctoris Evangelici ad Normam Jo-
hannis Hessi* hucusque expresseris, at-
que puritatem Doctrinæ Deo, obsequii
gloriam Magistratui, & pietatem ac sin-
ceritatem Auditoribus TVIS declara-
veris, me tacente universa loquitur Ci-
vitas. Hujus ergo, quem in TE redi-
) (3 vivum

vivum veneramur & colimus, quin Patrocinium suscepturus sis, nullus quidem dubito; sed quod me interprete, atque hoc ipso libello Hessi memoria commendata TIBI fuerit, cumque reliqua materia Nomini TVO consecrata, id ipsum est, quod audaciæ deprecatur veniam, TVVMque Favorem atque Benevolentiam demisse exorat: quibus si philyras hasce dignatus fueris, non mediocre iis accessurum decus firmiter mihi persuadeo. TE vero Deus servet, PATRONE SANCTE COLENDE, atque Dignitati Muneris TVI porro incrementum addat ac perpetuitatem, ut ecclesiæ nostræ, Tuorumque saluti diutissime sufficias. Et quid impedit, quo minus verbis votisque, quibus Venerandum Collegii nostri


stri Caput, & Rector meritissimus, M. GODOFREDVS KVPFENDERVS TIBI recens creato Pastori ante hos duos annos applausit, vota mea finiam?

* * *
QVam meruit famam fortis prudensque COLUMBUS,
Orbis qui pandit limina culta novi:
Hac magis est dignus doctus sapiens-
que COLVMBVS,
Cœli qui pandit tecta beata novi.
TV, TEVBNERE, *Novæ* Præsul Venerabilis *Vrbis*,
Vrbis jam Veteris munia sacra subis.
Ambrosio sacrata dies hos tradit Honores:
Ambrosium nobis TE fore at illa notat.

Ast

Ast HESSI TE velle sequi vestigia dicis:
Sis HESSVS, cujus fama per astra sonat.
Magdalis hinc plaudens pansis TE sus-
cipit ulnis,
Sperat & hæc abs TE Nectar & Am-
brofiam.
Porro nite, nostram nituisti ut stella per
Urbem,
Et fero fias Stella corusca Poli!

Vratislaviz, Calendis Martii
M DCC XVII.



I. JO.

☉ (77) ☉



I.

IOHANNIS HESSI Silesia Magna.



Hessi memoriam renovaturus, supersedere quidem poteram Vitæ ejus descriptione, satis habens, si illos nominavero, a quibus ea nostro ævo sat luculenter exposita est. Sed quo melius omnia cohæreant, atque subsequencia, quæ hinc lucem scenerabuntur, non videantur aliqua obscuritate laborare, breviter omnia atque capitulatim attingam, & nonnulla alia, quæ huc spectant, subtexam: prius tamen moniturus, Hessum in Godofr. Arnoldi Kirchen- und Reher Hist. Part. I. p. 67. vocari Herz/ idemque nomen repeti in M. Erdm. Uhsen Hist. Eccl. Sec. XVI. & XVII. lib. I. p. 126.

Johannem nostrum in Civitate Norinbergensi Anno M. CCCC. XC. mense Septembri natum, ac deinde Literis addictum, Lipsia Philosophiæ Baccalaureum, Witteberga Magistrum salutavit, qui vero ad Sacerdotium adspirans in Silesiam se recepit, atque Nissæ ab Episcopo IOHANNE TVRZONE ad secreta consignanda est adhibitus, postea a CAROLO, Monsterbergensium Olsnensiumque Duce, erudiendo filio Joachimo, & Jaroslao Baroni Schellenbergio præfectus, iisque laudabiliter

L

biliter

biliter defunctus, suscepto in Italiam itinere, Subdiaconus Bononiæ, Theologiæ Doctor Ferrariæ, atque Diaconus Romæ creatus est, absensque renunciatus Canonicus in Silesia Nissenfis, Bregensis, & ad S. Crucis ædem Vratislaviensis. Fuisse etiam Canonicum Bambergensem & Glogoviensem, e concione quadam funebri infra ciranda didici. Hoc facto regressus in Silesiam, & inde ad Norinbergenses suos profectus, quam hætenus animo voverat, in Cathedra sacra publice ibi exposuisse perhibetur Evangelii Doctrinam, reduxque Vratislaviam, dignus judicatur, qui ab Excessu *Oswaldi Winckleri* (ultimi ante Reformationem in æde Magdalene Pastoris & ut habet inscriptio publica, Rectoris) orbam per quadriennium Pastore Ecclesiam doctrina sua regat atque foveat. His Consiliis, accedente vocatione publica, annuit Hessus, approbante id Episcopo IACOBO a SALZA, & CAROLO Monsteb. & Olsn. Duce, cui Noster sacris muniis erat devinctus, permittente.

Primam ergo concionem novus Pastor ac primus Evangelicæ Veritatis Præco hic Vratislaviæ in æde Mariæ Magdalene sacra ad populum dixit Anno M. D. XXIII. die XXV. Octobris, Dominica XXI. post Trinitatis Festum. Subsequēbatur deinde publicum disputandi certamen Anno M. D. XXIV. in Monasterio S. Dorotheæ, autoritate publica, ipso Præsīde susceptum, & a die 20. Aprilis, per aliquot sequentes continuatum. Duabus præcipue rebus nomen æternitati tradidit, Evangelii veritatem, cum vitæ integritate conjunctam, annunciando; atque salutem pauperum ægrotorumque prospiciendo: quod postremum effectum est institutis ejus opera Eleemosynis publicis, & exstructo in area Burgivalli, vulgo *Burgfeld* Nosocomio omnium sanctorum. Ab Anabaptistis fuisse petitum Hesium nostrum testatur Codex MStus in Bibliotheca Rehdigeriana, quo

quo Tractatus quidam anabaptistici comprehenduntur, & in his Johannis Gigantini * (qui Germanice scribitur *Hansß Neef*)

* Quis Johannes ille Gigantinus, vel *Hansß Neef* sit, ex aliis scire cupio. Vixit circa annum M. D. XXX. quo tempore, vel paulo post, Secta Anabaptistarum collectis passim in Silesia affectis, fanatico spiritu correpta, Moraviam, terram sibi visam promissionis adiit; postea vero vel laboribus, vel aliis calamitatibus fracta, coryphæis etiam partim extinctis, partim de successu imposturarum suarum desperantibus, rediit ad possessiones suas. Vid. *Lieffmanni Diss. de Fanat. Siles. §. XV.* In Judicio allegato Gigantinus duo sibi sumit probanda: primo quidem: *falsam esse sententiam, neque ex Scripturis probandam, quod Baptisma Christi, loco circumcisionis institutum sit; & deinde: infantes nec fideles esse, nec infideles dici posse.* Ex ista Tractatione apparet, jam antea inter hunc atque Hessum intercessisse contentionem de Pædobaptismo, vernacula lingua institutam, cum hic nonnulla Hessi argumenta refutentur, ipseque Gigantinus initio fateatur, se Hesso sic volente, sententiam suam latina lingua exposuisse. Clarius ea patebunt ex ipsis Gigantini verbis, scilicet Titulo ac præfamine, quæ judicio suo præmilit. Ita vero scribit:

Anno incarnationis Domini & Dei nostri JESU Christi 1530. Joannis Gigantini e scripturis infanticia illa de fide judicium, ac egregio viro Theologie Doctori Domino Joanni Hesso Vratislaviæ Parochie Divo Marie Magdalene plebis pastori, pia ut mente perlustraret, Deique in timore per spiritum Christi judicaret, tunc temporis per eundem propriis manibus transmissum.

Gratia Dei & pax cum sincera veritatis cognitione sit tecum amen. Quandoquidem latina lingua dissonantem nostrum scriptura intellectum pertractandum tibi magis libet: utcunque potui banc meam infanticia illa de fide sententiam Dei gratia (minime enim diffido) consecutam latine expressi. Si quid igitur vicis in ea lingua, a me quocunque modo expressa conspicies, ignoscere peto, nam me & hodie & olim omnium latine lingue discipulorum infimum semper dijudicavi. Verum si a vero scripturarum intellectu me aberrare cognoveris, mihi ut minime parcas volo; sed si merui, dignam (vero & meliori saltem scripturarum testimonio & judicio) dignam inquam in me correptionem ut conjicias,

Recl) Judicium de infanticia fide ad D. Joh. Hessum An. 1530. transmissum: item ejusdem Gigantini Responsio ad Justi Menii tertium articulum de Pædobaptismo, cum Hessus ad citatum

jicias, carnalemque illam meam stultam & mendacem semper prudentiam prodas, & coram omnibus confundas, rogo & exopto: revocare enim, si aliqua mea falsa & erronea divini verbi & spiritus potentia comprobaveris, coram toto mundo, Dei gratia coadjutrice minime erubescio. Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. Tessa. ultimo.

Sequitur hinc judicium, bifariam propositum, ut jam antea dixi, quod hoc clauditur epilogo: *Ad hec eximius vir theologie Doctor Dominus Joannes Hessus nativa sua lingua respondens, aperta schedula in hec verba tantum rescripsit:*

JUSTUS MENIUS

wider die Widderteuffer.

In hunc Justi Menii librum germanicum, ægre quidem obtentum, Gigantinus Confutationem quoque germanicam confecit, de qua ita loquitur:

Nachdem Doctor Hesi/ Pfarrherr zu Breslaw auf meyn gethanes schreiben (vom Kynderglauben) wilchs yhm hab zugesertiget/ nur diese kurze schriftlich Anthwurt: Justus Menius wider die Widderteuffer/ yn eynem kleynen offnen Ezedelen zugeschrieben/ bien ich gursacht wurden auf die ausgangene schriften Justi Menii zu erhaltung der Kindertauff wider die Widderteuffer/ wilchs der dritte Artikel ist unter den folgenden auffgezeichneten/ meyn Anthwurt auch aufs Pappir zu brengen/ zu erhaltung göttlicher Wahrheit. Als yhm aber yhe zukommen/ kans nicht eigen wissen/ denn ich synen Pfarrherren der Geburth von Breslaw (weil ich sust ym Druck Justum Menium nicht bekommen kundt) mitt solchem Bedinge abzuleihen verursacht ward/ das ich ym meyn Anthwurt/ wen er schriftlich vorkeme/ auch leihen wolt. Wilchs ich auch also yhm gehalten/ kants aber kaum yn eynem viertel jor unaefertlich von yhm wider zu handen bekommen/ was er so lange mitt fürgehabt/ ist mir unbekant.

Id

tum Judicium Gigantini respondere nollet, sed in schedula tantum rescriberet, legendum esse Justum Menium contra Anabaptistas.

Id excipiunt Articuli Justi Menii, & inde Gigantini refutatio, tertio in primis articulo Menii opposita, sed acrioribus verbis expressa. Cumque antea Hessum comiter tractasset, hic stilum vertit, Meniumque mendaciorum, falsitatis atque sophismatum arguit. In fine autem Codicis hujus anabaptistici judicium superius latinum, etiam exhibetur vernaculum, eodem titulo ac præfamine, sed germanice verso, ibique Autor Hans Recl vocatur, addito etiam epilogo germanico: *Auf dies hot der vortreffliche Man der heiligen Schrift Doctor, Herr Joannes Hesi yn eynem offnen Ezedelen/ alleyn mit diesen Worten/ mir yn angeborne (das ist deuczer) seyner Ezungen anthwurtende widerumb geschrieben:*

JUSTUS MENIUS

wider die Widderteuffer.

His ipsis scriptis inserta legitur Concio vernacula cujusdam Ambrosii, Pastoris Reichenbachensis hoc titulo: *Antwort auf 2. Gründe von der Kinder Glauben durch Herrn Ambrosium den buchtlichen Prediger zu Reichenbach zur Stärck mißbräuchlicher Kindertauff geprediget Anno 1530. vid. V. Cl. Gottlob Kranzii, Scholar. Vrat. Insp. & Gymn. Elisab. Director. ac Prof. Publ. nec non Biblioth. Rehdigerianæ custodis, Notitia MStorum Bibliothecæ Rehdigerianæ MS. Cod. XL in 4to. De Menii libello Elogium Lutheri vide in Seckendorffii Lutheranism Lib. III. Sect. 30. §. 118. ejusque Addit. I. p. 517. & in scholiis f. supplem. ad Indicem I. Scholio 50. Item Johannes Reckius (von der Recke) Magister Ordinis Equestris Livonici, sed quem a nostro Gigantino diversum esse puto, memoratur in eodem Lutheranism Lib. III. Sect. 30. §. 117. Addit. 2. lit. d. pag. 512.*

L 3

Bis

Bis matrimonium iniit, primum cum *Sara*, Stephani Jopneri, Senatoris Vrat. filia, Johannis Hessi, Jcti matre; postmodum cum *Hedwige*, filia Petri Wahleri, Zygotatae Vrat. matre Pauli, Phil. & Med. Doct. & Prof. in Acad. Witteb. Utriusque vero Generi erant Johannes Aurifaber, Th. D. & Pastor primarius Vrat. Daniel Büttnerus, Ph. & Med. D. & Pract. Vrat. Fridericus Staphylus, haud ignotum in Historia Ecclesiastica & literaria nomen; Johannes Nunhart, mercator Vrat. Noster tandem doctrina & meritis clarissimus ex vita migravit Anno M. D. XLVII. die VI. Januarii, ætatis LVI. ministerii apud Vratislavienses XXIV. sepulcrum nactus in Templo Magd. ante pulpitum summi Altaris, ubi lapis ejus sepulcralis hodiernum jacet, sed insculpta imago Hessi pedum attritu propemodum perditæ. Breves hæc lineas Biographiæ Hessianæ longius produxerunt, præter Nicolaum *Henelium* in Silesia Togata MSta, Melchior. *Adami* in Vitis Theologor. Germ. Mart. *Hankius* in Silesiis alienigenis eruditus pag. 371. & M. Adam. *Pankius* in Vitis Pastor. Magdalenæor. apud Vratislavienses Num. I. Conf. Nicol. *Polius* in Hemerolog. pag. 7. & Joh. Henr. *Cunradus* in Siles. Togata pag. 125.

Patrem Hessi quod attinet, eum scriptores nostrates Civem vel mercatorem Norinbergensem appellant: sed generosum etiam fuisse, jam ante hoc seculum publico scripto assertum legitur in impressa, quam supra nominavi, concione funebri M. Lucæ Waltheri, Diaconi quondam apud nos Elifabetani, quam habuit Hermansdorffii Anno 1611. die 24. Octobr. in Exequiis Magdalenæ Hessen a Stein, quæ Georgii Arzatii, Toparchæ in Arnolds mühl & Rümberg Conjux, Hessique nostri Neptis fuit: ubi in hujus vitæ curriculo, additaque genealogica expositione octo proavorum, Magdalena illa antiqua profapia Hessorum Franconica (aus dem uhralten Geschlechte der Hessen

Hessen im Lande Francken) genita dicitur, & rursus: Ihr Herr Großvater ist gewesen der Edle und hochgelehrte Herr Johannes Heß/ Canonicus und Thumherr zu Bamberg/ und dann allhie in Schlessien zu Großglogau und Breslau/ welcher in diesen Landen der erste gewesen/ so die Kirchen-Reformation mit Göttlicher Hülffe zu Breslau angefangen. Quibus, si forte cuiquam gloriosius quam verius dicta videantur, ipsa adstipulantur insignia, quibus usus est noster, & quæ hodiernum publicitus conspicienda præbet Tabula Epitaphii Hessiani, in Templo Magdalenæo e regione suggestus affixa, ubi in luteo scuto cernitur Leo (ut apparet) cæruleus, altera falcularum tenens lignum nodosum; in galea falcularum tantum leoninæ, simile sustinentes lignum. Libri quoque Hessiani, quorum pars fundamentum jecit Bibliothecæ Magdalenææ, eodem signo notati cernuntur, adscriptis verbis: ARMA HESSICA ANNO 1525.

Dubium quidem movent insignia filii & nepotum, quæ & figuris & coloribus quodammodo discrepant a paternis. Describunt ea Scholiastes Henelianus Cap. VIII. pag. 675. & Joh. Sinapius, Olsnograph. Part. I. pag. 911. Scilicet: Leo luteus coronatus in cæruleo & albo clypeo, & supra galeam idem Leo, dextra falcula luteum, sinistra cæruleum, utrumque cruce notatum sustinens vexillum. Spenerus Operis Herald. Part. gener. pag. 231. paulo aliter: *Leo coronatus, ex scuto transverse secto ex cæruleo & argento incumbens, notat Hessen Silesios.* Et in notis: *Hessen apicem habent ex coronata casside exsurgentem Leonem, qui utrinque falculis tenet vexilla singula ex cæruleo & argento transverse secta, & inscriptas columnas aureas deferentia.*

Quæ diversitas insignium suspicionem injicere possit, quod a filio demum stemmatis nobilitas ortum suum traxerit. Filium autem hic innuo natu majorem, ex prima conjuge, Sara

ra Jopneria, susceptum, *Johannem Hessum in Stein, Weigelsdorff & Brandschütz, U. J. D. Reip. Vrat. Syndicum, & Ducatus ejusdem Pro-Cancellarium, Scholarumque Vrat. Præsidem*; postea vero Caroli Ducis Olsn. atque etiam ipsius Augustissimi Imperatoris Consiliarium Fiscique Silesiaci Patronum. Quam dignitatem cum vita posuit Vratislaviæ An. 1594. d. 16. Octobr. annos natus 65. relictis filiis *Johanne, Daniele, & Maximiliano*, futuris quidem propagatoribus familiæ ab Hessen & Stein, sed quæ circa medium superioris seculi cum iis rursus expiravit: filia vero Magdalena, cujus supra mentionem fecimus, genus suum ad Arzatorum familiam patriciam transtulit. Huic Johanni pariter Elogium scripsit Henelius, quod excerptum vide in Scholiis Silesiogr. Renov. Part. II. Cap. XII. pag. 1201. Conf. Cunradi Siles. Tog. pag. 125. Hankii Propag. Erud. Vrat. p. 69. Quodsi ergo in re dubia aliquis conjecturis locus est, existimarem ego, mutata Insignia non novum stemma arguere, sed veteris potius renovationem ac amplificationem demonstrare, ita ut Johannes Hessus, filius, cum honoribus Consilarii Cæsarei, Fiscique Patrocinio, aucta quoque Insignia acceperit.

Sed satis de Vita atque Nobilitate Hessi: ad Scripta ejus convertimur. Nulla quidem prostant publice, præter Epistolas vero cum latinas, tum germanicas in Bibliothecis superstites Opus congescit historicum, e Joh. Turzonis Tabulario, aliisque Codicibus antiquis excerptum, quod SILESIAM MAGNAM inscripsit. Audiamus Mart. Hankium in vita Hessi pag. 382. eam in sententiam ita scribentem: *Johannis Turzonis, Episcopi Vratislaviensis olim Secretarius, rariorem Silesiacarum rerum notitiam ex MStis nondum editis hausit, per sui temporis multiplices occasiones auxerat. Eam literis latinis consignatam vocabat Silesiam Magnam: ex qua per Christophorum Henscherum, Syndicum Vratislaviensem, ad usuram obtenta, Nicolaus Henelius quadam in Silesia Renovata, Cap. VII. §. 16. lectoribus obtulit.* Qua

Qua methodo ea omnia consignaverit, non habeo dicere, cum, quo se subduxerit Silesia illa, ab uno alterove tantum usurpata, & post Henelium vix a quoquam amplius visa, juxta cum ignarissimis sciam. Henelius ADVERSARIA appellat, loco infra producendo: quod me in eam sententiam adduxit, ut crediderim, non tam Historiam aliquam Silesiæ universalem, justa serie sibi cohærentem, ibi fuisse traditam; quam potius fragmenta rerum Silesiacarum, maxime ecclesiasticarum, tumultuaria opera, aut saltem annorum serie, ad modum annalium, notata. Nec vanam fuisse opinionem nuper demum edoctus sum. Cum enim jam pridem Conjectanea hæc de Hessi Silesia chartis tradidissem, nec tamen iisdem contentus, in diem expectassem, quid serus vesper veheret, spe fretus fore, ut certiora aliquando inaudirem: accidit ut per Fautorem Amicum copia mihi facta esset Annalium Silesiæ *Tobia Fischeri*, in quibus quamplurima ex Hessi Silesia descripta inveni. Addita enim erat singulis excerptis citatio auctoris hoc modo: *Hes Col.* Interdum etiam Hessi nomen integrum expressum, sed syllaba *Col.* vix unquam aliter. Ipsa vero materies satis manifeste indicabat, citari hic Hessi Collectionem, vel potius COLLECTANEA, quæ Henelio ADVERSARIA vocantur. Agebant autem Excerpta illa de ecclesiasticis æque ac politicis rebus, cum antiquorum, tum etiam recentiorum, sed quæ Hessi ætatem contingebant, temporum: vernacula tamen lingua Fischerus omnia scripserat. Multo vero plura rarioraque, quam quæ Fischerus notavit, documenta latuisse in hisce Collectaneis, fragmenta, quæ Henelius, velut tabulas e Naufragio, in scriptis suis conservavit, evincunt, fidemque una cum Fischerianis faciunt, multa ultimæ antiquitatis monumenta illuc fuisse reposita.

Sed, nisi me fallit Conjectura, ejus hodie jactura non amplius deploranda erit, cum asserere nullus dubitem, quin ea

M

ipsa

ipsa Hessi Silesia Magna, paucioribus forte exceptis, Annalibus Polii MStis, quos specim. I. pag. 16. breviter exposui, illata sit, istique Annales jacturam ejus satis abunde nobis restituant. Ea enim, quæ in Codice Fischeriano offendi loca, in Annalibus Polianis me legere memini. Et cum hæc hactenus sæpe miratus fuerim, undenam tantum rerum præstantissimarum cumulum hauserit Polius, præsertim cum, per quos profecisset, non nominaverit: tandem id suspicatus sum, plurima, cum primis vetustioris ævi, vel Hessi Adversariis deberi, vel Tabulario cuidam secretiori. Et quamvis negandum non sit, exstitisse jam ante Polii tempora Codices ejusmodi Annalium haud proletarios, quibus Polius uti potuerit, destitutus Codice Hessiano: eos tamen velut rivulos ex Hessi scaturigine fuisse derivatos, illiusque Silesiam Magnam dedisse originem reliquis libris, quos vocant, Chronicis, affirmare fere ausim.

Quicquid id sit, uni Henelio acceptam referimus vindictam ab oblivione Silesiæ Magnæ memoriam, quam primus ad nos publico scripto propagavit: cujus etiam fragmenta jam non nihil perlustrabimus. Primum, quod allegante Martino Hankio, Silesiogr. renov. Cap. VII. §. 16. reperitur, sistit Bregensis Urbis descriptionem, ex Hessi quidem Silesia Magna depromptam, sed verbis *Bartholomæi Steni*, ex Ordine Crucigerorum sacerdotis, Bregam patriam agnoscentis, conceptam, cui Henelius ista præmittit: *In Codice MS. a D. Christophoro Henscherro, Reip. Wrat. Syndico, mihi communicato, cui titulus: Silesia Magna Hessi, sequentem reperi descriptionem, quam hinc excerptam invidere hoc loco nolui: Bregam Stenus patriam suam &c.* Cum vero hujus Steni Elogium ex Henelii Silesia Togata in scholiis subsequen-
tibus pag. 72. exhibea:ur, verba huc facientia superaddam: *Libris tribus (Stenus ille) insigniorum urbium, & locorum descriptiones industrie & exquisite, si non eleganter aut scite complexus est: unde non pauca in ADVERSARIA sua MSta sive Silesiam Magnam benefi-*
cio

cio V. Cl. Christophori Henscheri Jcti, Reip. Wrat. Syndici, nobis aliquando communicatam transtulit Joannes Hessus. En tibi nomen ADVERSARIORUM.

Alterum fragmentum superest in Breslographia Henelii, quæ An. 1613. Juris publici facta est. Ibi Cap. III. pag. 16. recensetur Colloquium Johannis IV. Episcopi Vratislaviensis, cum Johanne, Varadiensi Episcopo, qui Monachus sponte factus, in Conventu Bernhardiniano Vratislaviæ cucullum sumserat. Sic autem scribit Henelius: *Fama tenet, nec a vero abhorrens, dixisse Joannem ad Episcopum Vratislaviensem, cognomine Rothum: Et vos eritis (verbis refero vetusti Manuscripti Codicis) aliquando Monachus. Respondisse Episcopum: Non descendo de superiori & perfectiori statu ad minorem. Cui iterum Monachus: Quid si & vos &c.* Idem Colloquium repetit Autor in Breslographia Renovata MSta Cap. III. sed hoc præfamine: *Fama tenet, quam nec lubet adfirmare, nec lectori subducere. Addens in fine: Recte id quidem, an secus, aliorum esto judicium.*

Hanc Confabulationem Buckisius quoque suis Prolegomenis Histor. Eccles. Siles. pag. 109. inseruit, sed simul confutavit, Codicem MStum in dubium vocans, ipsumque Henelium sublestæ fidei arguens, qui hæc in opprobrium ordinis confinxerit. At vero ipsa hæc Silesia Magna Hessi vetustus ille Codex est, cujus verbis Colloquium id refertur. Quod colligitur ex alio fragmento Breslographiæ typis editæ pag. 18. in quo de Canonicis Regularibus S. Augustini, eorumque antiquissima sede Vratislaviæ agitur. Ita autem Henelius ibi præfatur: *De primis hujus Cœnobii Monachis in vetusto Manuscripto, quem & supra laudavi, & beneficio V. Cl. Christophori Henscheri Jct. & Syndici Vratislaviensis nactus sum, ita scriptum reperio: A. C. 1170 Valterus Episcopus &c.* Ubi tantum attendi velim verba: *in vetusto Manuscripto, quem & supra laudavi, quibus digitum intendit in vetustum il-*

lum Codicem, cujus verbis Colloquium superius retulit: non enim alium ante Codicem laudaverat. Et cum præterea citatum toties Christophori Henscheri nomen adferatur, res liquido patet, non alium, nisi Hessi Codicem, sive Silesiam Magnam indicari. Accedit, quod locus ille posterior in Breslograph. Renov. Cap. III. denuo occurrat, addito expressis verbis Autoris & Codicis nomine. Conf. Schickfusius Lib. IV. pag. 50.

Taceo fragmentum aliud in Breslogr. Renov. Cap. III. reperiendum, de veteris Monasterii Vincentini, in suburbio Elbingensi olim conditi, habitatoribus, Benedictinis atque Præmonstratensibus, mentionem faciens: Nihilque de Opere hoc addo amplius, nisi verba, quæ de Bartholomæi Steni Poliographia superius laudata usurpavit Henelius: *Ipsum, inquit, scriptum sive fatali Patrum incuria, sive insidiosa magnis ingenii longi temporis serie (nisi forte adhuc in libraria quadam supellectile lateat) periisse vero videtur simile.* Siles. Ren. Cap. VII. in schol. pag. 73.

De Nomine paucis dispiciendum, cur MAGNA inscribatur Silesia. Inquirenti autem mihi in causam hujus denominationis, non occurrit ex nostris scriptoribus, qui ejus aliquam rationem redderet: tamen non sit dubitandum, Hessum ipsum in Opere suo inscriptionis rationem dedisse. Occasionem vero Autori præbuisse reor, non magnitudinem Terræ Silesiacæ, sed Dominorum ejus prærogativam singularem, quippe qui regio Polonorum sanguine oriundi, Magnorum Ducum Principumque nomine quondam salutati leguntur. Boleslaus, cognomine Altus sive Procerus, Ducum ac Dominorum inferioris Silesiæ Progenitor, patrem suum Uladislauum II. *Maximum Ducem Silesiæ* vocat in Privilegio. quod Leubusino Monasterio An. 1197. & 1179. dedit, cujus initium tale: Ego Boleslaus Dux Zlesia, filius primogenitus illustris quondam Principis Wladislai, *Maximi Ducis Zlesia* &c. vid. Mart. Hankii Exerc. de Siles. Rebus Cap. XI.

XI. §. 27. pag. 347. & M. God. Dewerdeckii Siles. Numism. Lib. I. Cap. II. pag. 98. Quin & Casimirus, Rex Polonorum, in literis, quibus An. 1339. Juribus in Silesiam renunciavit, Duces Silesios, Regno Bohemiæ jam conjunctos, *Magnos Principes* citat. vid. Schickfusius Lib. III. Cap. XVI. pag. 143. & Dewerdeckius loc. cit.

Cæterum a scriptore quodam Nostrate Silesiam dictam esse Magnam vix memini, præterquam a *Caspere Laudismanno*, Jcto, in Consilio de Linguis exoticis addiscendis, quod An. 1614. Lipsiæ, & 1616. Stetini prodit in 4to: itemque in Admonitione pro autoritate Consilii de exoticis Linguis, quæ una cum Oratione latina & gallica, in illustri Gymnasio Bregensi habita, An. 1617. lucem vidit. In his scriptis, maxime in Consilio, ad nauseam usque Magnæ Silesiæ nomen plurimis paginis inscriptum leges. Sed mirum non erat, Silesiam hoc nomine insigniri ab homine glorioso, laudisque propriæ immodico præcone, & ridicula quadam jactantia non nisi magna crepante, quod scripta ejus vel leviter inspicienti palam fiet. Vid. Joh. Casp. Eberti Peplus bonor. ingenior. Goldbergensium pag. 25.

III.

SIMONIS GRUNÆI Inscriptiones Lignicenses & aliæ.

A Nni, supra mille quingentos, sexagesimi quarti dies IX. Martii, fastorum veterum, Grunæum hunc in lucem protulit. Pater erat Simon Grun, Civis Lignicensis, & mater Catharina Sigfrida vel Seiffertia, a quibus parentibus scholæ patriæ illatus Rectore M. Fabiano Clofio, qui Nostro

Testimonium scripsit *a rectitudine ingenii, alacritate in discendo, morum candore, modestia & tranquillitate*; tandemque præfagiens addidit: *non vulgare columen ecclesie Dei & bonarum artium evasurum.* An. M. D. LXXIX. Vratislaviam secedens a M. Nicolao Steinbergero, Elisabetani Gymnasii Rectore, alumnorum albo inscriptus est, ubi biennium exegit in ædibus Casparis Weigleri, Senioris Diaconi Elisabetani, de cujus uxore Elisabeta Wincleria prædicare solitus est, eam latini sermonis & cultioris literaturæ sic fuisse gnaram, ut etiam publica specimina edere non dubitaverit. Quo ipso vero eruditæ hujus sceminae Orationem puellarem de Puero Jesu citat, quam vix decimum egressa annum in schola Elisabetana, cum addito ejusdem argumenti carmine publice recitavit, & pater ejus * M. Andreas Winclerus cum Catechismo Ambrosii Moibani typis suis in vulgus edidit.

An.

* Erat is M. Andreas Winclerus Saxo, natus in pago Winckel, qui ab Ilfelda distat intervallo sex milliarium, ut habet Mich. Neander in Orbis terræ partium succincta explicatione pag. 33. qui varia ad vitam Wincleri pertinentia, in primis vero lectu jucundum cum eodem Colloquium affert pag. 41. b. Hic tantum dixisse sufficiat, fuisse Winclerum initio cum aliis quibusdam doctis viris præceptorem scholæ ad S. Corporis Christi ædem Vratislaviæ, quæ a M. Antonio Pausio Rectore vixit, ea vero post triennium peste disjecta, primum Scholæ pariter ac Gymnasii Vratislaviensis ad S. Elisabetæ Rectorem, & simul Typographiæ, quæ a Baumannis nomen obtinuit, primum fundatorem. Et licet ante Winclerum jam Vratislaviæ Typographi fuerint, videlicet, Conradus Baumgart, Caspar Libisch, & Adamus Dyon; non tamen continua eorum fuisse videtur successio. Postquam autem Winclerus Typos in ordinem redegit, quod Anno M. D. XXXVIII. factum esse constat, nunquam ab eo tempore cessarunt operæ, & perpetua Typographorum fuit successio.

An. M. D. LXXXI. Noster Francofurtum abiit, bienniumque ibi commoratus, ad patrios lares redux, Stofschiorum Mega-Tschirnensium studiis præfuit, sed A. M. D. LXXXVIII. Francofurtum rursus repetiit, ibique Decano M. Davide Origano laurea philosophica ornatus, anno sequenti Hermansdorffii

sio. Fatetur id Georgius Baumannus, Typographus Vratislav. in præfatione Carminum secularium de Typographia, quæ curavit pariter atque impressit An. 1640. In his Carminibus Andr. Tscheringius canit: *Winckler hat die Bahn gebrochen/ additis in margine verbis: M. Andreas Winckler/ Schulmeister zu S. Elisabet/ hat die Buchdruckerey allhier angelegt im Jahr 1538.* Recte hinc V. Cl. Gottlob Kranzius in Memorabilibus Biblioth. Rehdigerianæ, p. 75. *Vratislavia Typographiam suam non plebejo, aut a Musis alieno homini, sed Andrea Wincklero debet, Rectori Elisabetano, & primo Vratislaviensium Typographo, viro quinquaginta & trium annorum labore de hac schola optime merito.* Successores Winclerus in Typographia habuit Crispinum & Johannem Scharffenbergios, Georgios Baumannos, patrem & filium, quibus defunctis heredes substituerunt Præfectos, qui typos dirigerent. Orationem puellarem cum Catech. Moibani a Wincklero excusam fuisse Plur. Rev. M. Casp. Sommerus tradidit in Hist. Scholar. Vrat. MSta. Ipse aliam editionem vidi a Crispino Scharffenbergio recusam, anno non addito, quam Bibliotheca Magdalenzæ servat, eamque tertiam vel quartam esse judico, cum Wincleri editio anno 1538. alia Witteb. 1539. & prima circiter an. 1534. sed sine oratione puellari, omnes tamen latino sermone in usum scholarum Vratisl. prodierint: Germanica vero Witteb. an. 1535. edita. Vid. scholia f. supplem. ad Indicem I. Lutheranismi Seckendorffii, schol. 53. De Elisabeta Wincleria vid. omnino Jo. Casp. Eberti *Gelehrtes Frauenzimmer* pag. 377. Germanum illa habuit Nicolaum, Pharmacopolum Lignicensem, cujus Epitaphia duo ex *F* de Petro-Paulina ibidem Grunæus etiam collegit. Quæ supra de schola Corporis Christi dicta fuerunt, in Annalibus Poli Mot. ad An. 1520. leguntur, in aliis quoque annalibus legenda.

dorffii in agro Goldbergensi Ecclesiastæ munus suscepit, ordinatione publica initiatus a Leonhardo Krenzheimio, Superintendente Lignicensi, quo anno etiam matrimonium iniit cum Virgine Krumbhornia, socerum nactus Bartholomæum Krumbhornium, Circuli Lignicensis Seniore & Pastorem in Waldaw. Hinc a Senatu Lignicensi An. 1591. ad munus Diaconi in æde B. Virginis, postea Archidiaconi in Templo Petro-Paulino obeundum designatur, sed rursus ad Templum Marianum revocatus an. 1612. officium Pastoris obtinet, mortuoque Andrea Baudisio, Superintendente an. 1615. in ea dignitate succedit, quam etiam ad Anni M. DC. XXVIII. diem XXI. Maji, quo decessit, doctrina & meritis ornavit, actis vitæ annis LXV. Conjugii atque Officii XLI. cum CXXXII. ministerii ecclesiastici Candidatis Ordines sacros contulisset.

Hunc Crypto-Calvinianis annumerari a quibusdam didici ex Venerandi Senis M. Casp. Sommeri Opusculo MSto cui titulus: *Die von ihren Lehrwegen abweichenden Evangelischen Prediger.* Ibi enim Sect. II. Num. 15. ex M. Christophori Steinbachii, Pastoris quondam Kunicensis Epistola (Missive) ad Samuelem Butschkium, Ecclesiasten Polonicum ad S. Christophori Vratislaviæ typis vulgata, adferuntur hæc: *M. Simon Grunen hab ich nicht schlecht vor vielen Jahren gekant/ sondern weiß auch/ daß er anfangs kein Calvinist gewesen: als er aber mit den gelehrten Leuthen in Rundtschafft kam/ schlug er umb/ gab dem Calvinismo Beyfall/ er wil es aber nicht gestehen.* Alii ex Inscriptione Musei eliciunt, eum Calvinianos pro fratribus habuisse, ita vero sonat:

In vero quiescens, fero quod possum; quos possum; ut possum. Laudet, qui volet; culpet, qui valet: mea Laus, mea Culpa, Christus. Mibi frater cui Christus. Hunc fero; hunc feram; in simplici veritate, in vera simplicitate quiescens. Valeant & valeant Critici Hypocrit.

percrit. & Hypocr. &, ne, dum alios, se ipsos judicent, viderint.

Sim. Grunæus Fer. Pasc. 1594. Museo meo inscrib. Qua mente, quo affectu, judicare bonis malisque integrum esto. Vid. Grunæi Monumentorum Silesiæ pericula in fine pag. 47.

Delectabatur vir doctissimus inscriptionibus, stiloque lapidari atque conciso: hinc etiam Clepsydre inscripserat: *Tempus abit. mors venit. fac cito, quod voles: fac bene, quod potes. Et iterum in latere altero: Tempora labuntur: fugit hora: extrema propinquant.* Celebratur autem in eo, præter divinam in re poetica indolem, insignemque scientiam linguæ latinæ, præclara studii philologici atque historici facultas, quæ virorum eruditorum consuetudinem atque familiaritatem ipsi conciliavit, quam ad extremam ætatem constanter coluit.

Ex Liberis quatuor, haud scio, qui patris memoriam ad posteros propagaverint, in quibus filius unicus fuit, *Godofredus Grunæus J. U. L.* Principum Lygio-Bregensium in Regimine & Consistorio Consiliarius, qui anno Christi 1654. fato functus est, annos natus LXII. ut habet Inscriptio Epitaphii in Templo Petro-Paulino Lignicii obvia, & Cunradi Sil. Tog. p. 100.

Cæterum quæ de Simone Nostro diximus, tantum non omnia hausta sunt ex ejus vitæ curriculo, addito Concioni funebri, a Valentino Hedwigero, tum temporis Past. & Sen. Parchw. postea etiam Superint. Lign. & Wolav. pronunciata. Neque dubium est, multo plura in laudem Grunæi, in medium allata fuisse, in sermone parentali, quo Godofredus Baudisius U. J. D. & Cancellarius Ducat. Lign. Grunæo justa perfolvit: sed qui ad manus non fuit. Conf. Kesleri Catal. Pastor. Lignic. & Cunradi Silesia Togata. p. 101.

Scripta, quæ in vulgus sunt edita, recenset Henningus Witte Diar. Biogr. An. 28. suntque: *Tractatus de utilitate legendæ Historiæ;*

storia; Descriptio virtutum; Basiliensium Monumentorum Antigrapha; quibus addenda: Monumentorum Silesiæ pericula; & Demonstratio affinitatis Ducum Lygio-Breg. cum præcipuis Imperatoribus Lign. 1610. Item Epistola edita a Seckendorffio in Hist. Luther. Schol. 28. ad Ind. I.

Meditabatur vir doctissimus, ob multiplicem usum, qui ex sepulcralium aliarumque inscriptionum lectione percipitur, Monumentorum Silesiæ publicationem, eique rei peculiare jam typi destinati erant. Ut ergo specimen aliquod typorum comparatorum ederet, exscribendis monumentis Basiliensibus periculum fecit, quæ vice fungerentur Prodrumi: cui statim subjecit Syndromum, edendo Monumentorum Silesiæ pericula. Uterque libellus prodit Lignicii An. 1602. in 8. typis Sartorianis eleganter descriptus. (vid. utriusque præfationes) Sed in conatu substitit labor. neque præter ista pericula quicquam amplius lucem vidit publicam. Neque tamen dubitandum est, quin absoluto labore Autor omnia, quæ meditatus erat, prelo parata habuerit, (vid. Dewerdeck, Siles. Numism. in præf. p. 18.) præsentemque Codicem Monumentorum Lignicensium (qui MStis Bibliothecæ ornatissimæ M. God. Balch. Scharffii, Rev. Min. Suidnic. Senioris, annumeratur) partem quandam universi corporis esse voluerit. Exterius Litera C. signatus est, forsitan quod ordine tertius illorum fuit, qui integrum Systema constituere debuerunt. Scriptus autem est ipsa Grunæi manu caractere satis eleganti, & Inscriptiones hac serie exhibet:

- I. In Templo Parochiali superiore DD. Petri & Pauli.
- II. Extra Templum Petro-Paulinum.
- III. In Cœmeterio suburbano superiore ad SS. Petri & Pauli Templum pertinente.
- IV. In Templo Parochiali inferiore D. Virginis.
- V. Extra Templum D. Virginis.

VI. In

- VI. In Cœmeterio suburbano ad Templum D. Virg. pertinente.
- VII. In Templo S. Johannis, in quo est Conditorium Principum.
- VIII. In Cœmeteriis suburbanis Petro-Paulino, D. Virginis & S. Nicolai.
- IX. In Agro Lignicensi, ut puta: Waldaviæ, Nicolstadii, Wandrisii, Kretschitii, Granovici, Kunitii ad stagnum, Neudorffii, Eichholtzii, Aquis frigidis, Waldstadii, in templo Oissano, Binovici, in pago Mertschitz, Steudenicii, Leswicii.
- X. Monumenta Monasterii Lubensis.
- XI. Monumenta in Monasterio Trebniz.
- XII. In templo oppidi Trebniz. parochiali.

De his Inscriptionibus quid habendum sit, L. B. ex Nicolai Henelii Elogio cognoscet, *Et vero, inquietis, si quis ingeniosas & argutas inscriptiones ad honestam animi oblectationem desideret, vix alia Silesiæ urbs majorem earum copiam hospiti Φιλοδωρίω, quam Lignicium ostendere poterit; recentiorum præsertim, quarum plerasque ne Italicis quidem vel bonitate vel utilitate, adde etiam acumine & elegantia cedere, res ipsa loquitur.* Silesiogr. Renov. Cap. VII. pag. 276. Quod quam vere dictum sit, intelligent ii, quibus eas inspiciendi facta est copia. Et si porro insignem earundem dignitatem, quæ ubique e Cippis personarum illustrium, viro- rumque celebrium resplendet, expendimus, talia hic decora oculis se sistunt, quæ maximis etiam civitatibus desunt. Hodie quidem multa ex iis desideraveris, quæ facta mutatione loco mota sunt, ideoque tanto magis in pretio habenda, quæ Grunæus conservavit.

Videas hic tumulos Principum, Comitum, Equitum, Nobilium

bilium satis illustres: Cippos Theologorum, scilicet: Canoniorum, Superintendentum, Pastorum, Diaconorum, perquam copiosos: Epitaphia Jctorum vel Politicorum, ut: Consiliariorum, Consulium, Senatorum, Secretariorum, Notariorum haud exiguo numero obvia: Memorias Medicorum, Archiatrorum, Poliatrorum; itemque Philosophorum, Philologorum, Historicorumque, quo etiam refero Rectores & Præceptores Scholarum, non minus laudabiles. Exempli causa unum vel alterum adscribam.

Ex Principum ordine notari meretur Monumentum ELISABETÆ, Conjugis Friderici II. Lign. Ducis, quod olim conspiciebatur in Templi Johannei tabula, qua sepulcri domini Hierosolymitani, & locorum circumjacentium situm Fridericus II. ex ἀντοψία depingi curavit, quod tale est:

Anno Domini M. D. XVII. die XVI. Februarii obiit illustris Ducissa Elisabeth, Casimiri Polonia Regis nata, Alberti Casaris ex filia, Ladislai Regis ex sorore neptis, Uladislai Ungaria & Bohemia, Joannis Alberti, Alexandri & Sigismundi Polonia Regum soror, ac illustris Principis Frederici Slesia Ducis Domini Legnicen. Conjunx, in hoc communi Principum conditorio sepulta: Breve sane tam expectati matrimonii specimen, quintum decimum ab inito conjugio mensem non explevit: perpetuus vero inclyti Principis mæror & desiderium. Conf. Grunæi Mon. Sil. Peric. p. 23. ubi monumentum aliud.

E Comitibus in eodem Johanneo Epitaphium cum Statua habuit Johannes Comes Hardeccius, Dominus Glacensis, Pocillator hereditarius Austriæ, & Dapifer hereditarius Stiria, qui obiit an. 1535. d. 2 Julii. Equitum Decus refulget ex Monumento marmoreo Zedliciano, Wenceslai a Zedliz, Capitanei Duc. Lign. & duarum ejus Conjugum, Elisabethæ Bebranæ & Margaretæ Kreckwicæ, in Templo Mariano.

In

In agro Lignicensi duo casus tragici occurrunt:

Alter in templo Oissano.

In fatum honorabilis viri Valentini Herman, Plebani in Oys, qui misere, inhumaniter, innocenterque a perfido quodam Campanatore trucidatus interiit:

*Hac ego qui modica condor tellure sepulcri,
Christicola hic Pastor Duxque gregis fueram.
Campanatoris rabies malefana cruenti
Abstulit insontem vulnere letifero.
Ergo quisquis eris, nostri monumenta sepulcri
Qui legis, exemplo disce cadere meo.*

1510.

Alter aquis frigidis.

Epitaphium filiola Joh. Maji Pastoris, Elisabethæ, que in vivario pisc. prope ades paternas etat. an. 2. submersa est 4. Jul. 1586.

*Hoc ego que tumulo jaceo Elisabetha, sub undis
Occubui fato flebiliore pedum.
Triste genus mortis! sed quod nondum altera messis
Visa mihi fuerat, nescia labis eram.
Hinc mihi nil metuo: sed gaudeo, me cito mundi
Emersisse malis innumerabilibus.
Joannes genuit me Christi buccina Majus:
Sum, reor, hac una parte beata satis.*

Sal. Frencl.

Monumenta Monasterii Lubensis antiquitate se commendant, multaque memorabilia continent, quæ ut prolixius recenseam, non necessarium duco, cum de sepulris ibi principibus, episcopis, aliisque magnis viris sat multa ex Cistercio bis tertio adduxerit Scholiastes Henelianus Siles. Renov. Cap. VII.

N 3

pag.

pag. 649. seq. Quod vero de fine inscriptionis in tumulo Boleslai III. Lign. Ducis in istis scholiis ortum est dubium, paucis expendemus. Ita autem scribit Grunæus: *In sacello majori, quod est templo contiguum, tumulus exstat editior Boleslai Ducis Legn. & Brigenf. fundatoris istius sacelli, cui imago Ducis, ex solido saxo a bubulco quodam sculpta, imposita est. Circa oram tumuli leguntur hi versus:*

No. Kale. dans. Majus. Dux. Vra. Leg. Brig. Boleslaus.
(23. April. an. 1352.)

Zelator. veri. largus. promptus. misereri.

Fit. cum. defunctis. M. C. tribus. L. duo junctis

Hi. heynrichs. hant. quhirt.

Porro in tabula membranacea prope tumulum versus elegiaci Boleslaum inter alia sic loquentem exhibuerunt:

Pastor & Effigiem sculpserat arte meam.

Adscripsit Grunæus: *Cujus (pastoris) effigies saxea pallio rubro manibus pedibusque nudis expassis cernitur in tholo testudinis ab ipso affixa, supra ingressum Capelle. Cum ergo in scholiis modo laudatis de ultimorum verborum sensu in tumulo Boleslai (hi. heynrichs. hant. quhirt.) Autor incertus sit: ista Grunæi interpretatione manifestum redditur, denotare hæc verba bubulcum sculptorem.*

Deinde occasione Monumenti Salziani quædam annotanda censui. In pariete quodam (verbis refero Grunæi) ipsius templi interioris supra picturam *Hermanni a Saltza*, tecti pileo ducali, pallio albo cum cruce nigra in sinistro humero, dextra gladium tenentis erectum. læva clypeum cum aquila nigra bicipiti in campo croceo, in cujus aquilæ pectore clypeus ruber cum lilio gallico albo, quæ sunt gentilitia Saltziorum familiæ insignia, ista legitur inscriptio:

Her-

Hermannus de Saltza Ordinis militia Teutonicor. Magister, primus sacra domus vexilla in Prussiam victor traduxit. 1223.

Sub Pictura:

Transivi intrepidus per mille pericula victor.

Non acies ferri, non vastis mœnia fossis

Conatus tenuere meos, domat omnia virtus.

Ubi id monendum duxi, incidisse me non ita pridem in libellum *Martini Bohemi*, Theologi Laubanensis, inscriptum: *Kriegesmann/ das ist/ gründlicher Unterricht/ wie sich ein Christlicher Kriegesmann verhalten solle/ qui prodiit Lips. 1593. in 8.* Hunc dedicavit Dominis de Saltza Toparchis in Schreibersdorff, Lichtenau & Lindau, Jacobi de Saltza, Episcopi Vratisl. Legatariis: causam dedicationis interserens, quod multi ex gente Saltzia virtute bellica inclaruerint. Hacque occasione notatu digna refert de gente Saltzia, octo abhinc seculis (Bohemi ævo) jam nota, incipiens ab ipsa illius origine, ab oppido & Castro Saltza in Thuringia nomen derivantis, & Minorum seu Baronum axioma sibi vendicantis. Progrediens deinde ad Hermannum hunc Ordinis Teutonici Magistrum, ejus res gestas enumerat, ipsamque Statuam e templo Leubufino peculiari figura exprimit, hoc tamen discrimine, quod clypeum cum aquila & insigni Saltziano ad pedem dextrum collocaverit, qui in monumento lævæ manui adhæsit: versiculi etiam, qui inferius scribendi erant, superiori inscriptioni superimpositi sunt. Præterea recenset, qua ratione Saltzii ex Thuringia in Silesiam Lusatiamque venerint, ipsamque deinde Genealogiam eorundem, e documentis vetustis probatisque subtextit, ordiendo ab Opicio de Saltza, cujus filius Johannes, tres genuit filios, ac in his Nicolaum, patrem Weigandi, Canon. Vrat. & Jacobi, Episcopi Vrat. & præterea Opicii, Güntheri & Matthiæ, quorum

quorum postremorum masculinam propaginem genealogica deductione, brevique vitæ & factorum mentione, ad sua tempora exhibuit: Jacobi vero atque Weigandi vitas dilucide planeque exposuit, ac in Jacobo duo inprimis notavit, quæ alii vitæ illius scriptores prætermiserunt.

Primum est, quod fratri suo Matthiæ, & post hunc filio ejus Joachimo, hoc vero defuncto, seniori familiæ, (dem ältesten Schwerdt-Magen) ejusque fratribus & eorum posteris successive ad dies vitæ concesserit atque assignaverit usum fructum feudi castrensis Bolckenhaynensis, usque dum relueretur, postea vero usuram quater mille ducentorum florenorum ungaricorum: ita quidem, ut usufructuarius ille, Saltziæ gentis studioso, in Academia degenti, stipendium L. florenorum Rhenanorum quotannis pendere teneatur. In his nominat Henricum, Opicii filium, Jacobi Episcopi ex fratre nepotem, qui suo tempore superstes familiæ senior, dictis 4200. florenis ungaricis fruatur.

Alterum vero est combinatio atque amplificatio Insignium, quam universæ familiæ cum simultanea investitura procuravit. Cum enim familia illa longe lateque per Thuringiam, Saxoniam, Bohemiam, Silesiam, Lusatiam, Poloniam & Borussia esset diffusa, & quidem eorum lilio candido in rubro scuto, quidam etiam duobus hamis aureis ex argento uterentur; opera ejus factum est, ut scuto quadripartito lilia & hami conjungerentur, & apex gemina caside exornaretur, quæ sunt hodie florentis familiæ Insignia. Et quamvis Jacobus Episcopus huic instituto immortuus sit, res tamen feliciter confecta est per Henricum de Saltza, Ernesti filium, ipsumque diploma datum a Carolo V. Imperatore Gandavi die 17. Martii anno 1540. & postea confirmatum ab Imperatore Ferdinando anno 1558. cui tum tredecim ejus familiæ sua manu subscripserunt.

Ipsa

Ipsa etiam Insignia hic conspiciuntur, cum additis elogiis poeticis. Hæc in gratiam eorum, qui studiis genealogicis atque heraldicis hodie meritum statuunt pretium, subjeci: conferantur cum iis, quæ Dornavius in Equite Christiano laudibus gentis Saltziæ scripsit. Add. Schol. Henel. Cap. VIII. pag. 554. 610. 768. Et Meisneri Equites Silesii Decade I. Num. VIII. & IX.

Sed redeundum in viam. Inscriptiones Grunæi Trebnicensis prætereo, librumque claudo, illud adhuc additurus, quod superioribus annis Joh. Petr. *Wabrendorffius*, Phil. & Med. Doct. ac civitatis Haynoviensis Practicus, motus inprimis elogio Heneliano supra memorato, publicare constituerit omnes Lignicensis urbis Inscriptiones, eo quidem ordine, ut, facta distributione in quatuor libros, secundum quatuor Templi primaria, scilicet S. Johannis, S. Crucis, DD. Petri & Pauli, & B. Virginis Mariæ, libros singulos iterum dividerint sectiones quædam, partim foundationem & originem historiamque Templi, partim epitaphia, partim etiam tumulos exhibituræ. Præterea etiam pro re nata aliorum sacellorum, locorumque, itemque Scholarum Descriptiones adjectæ fuerunt; quin & virorum celebrium, eorumque vel antecessorum successorumque, vel etiam majorum ac posterorum inspersæ memoriæ. Ut adeo non exigua Historiæ Civilis, Ecclesiasticæ, literariæque notitia, maxime Lignicensis urbis, inde hauriri potuerit, si quidem Auctori, honori patriæ sic velificaturo, quod molitus erat, effectum dare licuisset. Cæterum optamus, ut aliquando existat, qui Grunæi vestigiis insistens, collecto ex universa Silesia Inscriptio-num corpore, rem literariam Silesiorum hujusmodi labore sit amplificaturus; præsertim cum passim in Bibliothecis vastatalium inscriptionum volumina asservari constet, quæ subsidia cumulatissima sint subministratura.

O

III. INTRO-

III.
INTRODUCTIO
IN NOTITIAM
Scriptorum Historiæ Silesiæ.

Autor opusculi, ductus multitudine scriptorum, qui Historiam Silesiæ, vel in universum, vel sigillarim describendam sibi sumserunt, aut aliqua ex parte eandem contingere videntur, omnes, qui hætenus innotuerunt, non omisis etiam MStis, collegit, atque ordine quodam dispositos, luci publicæ exponere instituit. Hinc *ἀνονύμως* quandam hic recensionem voluit legi, exploraturus, num præscripta methodus ad palatum Historiæ patriæ amatorum futura sit. simulque ubi plenior Autorum cognitio deficeret, peritorum subsidia exoraturus. Affectum enim est opusculum, cuius maturitati defectus nonnullorum scriptorum, quos tantum titulo tenus cognoscere, non autem oculis usurpare datum est, hætenus obstetit. In eo vero labor versatur, ut non nuda nomina autorum, aut librorum tituli tantum afferantur; sed sufficiens autoris notitia, & libri argumentum, imo & ejusdem fata, qua fieri potest brevitate atque etiam perspicuitate tradantur. Scilicet singuli Scriptores, singulas quasi theses aut periodos constituunt, quibus annectuntur notulæ, quæ de Autore & Libro, quantum satis est, lectores docebunt. Infra exemplo quodam id declarabitur. Bipartitum est scriptum, cuius sectio prior atque generalior recenser eos scriptores, qui ex universa Silesia occasionem scribendi arripuerunt: altera vero specialior illos complectitur, qui de singulis Principatibus eorumque urbibus, nec non de

de Dynastiis aliquid literis consignarunt; quæ iterum dividitur in duos articulos, quorum prior Principatus atque urbis Vratislaviensis posterior reliquorum Principatuum scriptores percenset, ubi tamen superior Silesia multis lacunis hiat. Jam ipsam rem videamus.

SECTIO PRIOR.

- Cap. I. Agit de iis scriptoribus, qui id argumentum jam tractare, & Catalogos quosdam scriptorum Historiæ Silesiæ contexuere.
- Cap. II. De exteris scriptoribus, qui in operibus suis Silesiæ mentionem quandam passim injiciunt, quales sunt Historici Germani, Poloni, Bohemi, Moravi &c.
- Cap. III. De iis, qui integris voluminibus Historiam Silesiæ complexi sunt, aut complecti in animo habuerunt.
- Cap. IV. De Autoribus Compendiorum, qui Historiæ Silesiæ Ambitum in epitomen redactum exhibuerunt.
- Cap. V. De scriptoribus Annalium aut Ephemeridum, qui annorum vel dierum ordine Historiam exposuerunt.
- Cap. VI. De iis, qui Historiam Episcoporum elucubrarunt.
- Cap. VII. De Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus.
- Cap. VIII. De Controversiis Theologicis in Silesia motis occasione Crypto-Calvinianismi.
- Cap. IX. De Controversiis cum Romano-Catholicis, quæ sunt copiosiores.
- Cap. X. De iis, qui Historiam literariam Silesiorum illustrarunt.
- Cap. XI. De Ephemeridum meteorologicarum seu Calendariorum Silesiæ Autoribus.
- Cap. XII. De Mappis Geographicis Silesiæ.

- Cap. XIII. De Operibus Genealogicis.
 Cap. XIV. De scriptoribus Heraldicis.
 Cap. XV. De scriptoribus rerum physicarum & medicarum
 Silesiæ generatim.
 Cap. XVI. De scriptoribus Georgicis.
 Cap. XVII. De Botanicis.
 Cap. XVIII. De Montium descriptoribus.
 Cap. XIX. De Animalibus qui scripserint.
 Cap. XX. Flumina & Fontes a quibus descripta legantur.
 Cap. XXI. De Thermis scripta peculiaria.
 Cap. XXII. De Mineralibus & fossilibus qui evolvendi.
 Cap. XXIII. De Urnis.
 Cap. XXIV. De Rei numismaticæ scriptoribus.
 Cap. XXV. De Jurium Silesiæ Commentatoribus.
 Cap. XXVI. De Actis Bohemicis, quatenus Silesiam tangunt.
 Cap. XXVII. Commercia Silesiorum exposita.
 Cap. XXVIII. Scripta miscella de variis casibus atque calamitatibus &c.

SECTIO POSTERIOR.

Articulus I.

- Cap. I. considerat eos scriptores, qui de Principatu Vratislaviensi ejusque Dominis egerunt.
 Cap. II. qui de urbe Vratislaviensi in genere commentati sunt.
 Cap. III. de Rebus ecclesiasticis sub Episcopis.
 Cap. IV. de Rebus ecclesiasticis sub senatu.
 Cap. V. de Rebus scholasticis.
 Cap. VI. de Bibliothecis.
 Cap. VII. de Re literaria & Viris eruditis Vratislaviæ.
 Cap. VIII. de Juribus statutariis.

Cap. IX.

- Cap. IX. de Re numaria.
 X. de Insignibus.
 XI. de solennitatibus & ludis.
 XII. de Typographia.
 XIII. de cerevisia.
 XIV. de casibus atque incommodis variis.

Articulus II.

- Cap. I. de Principatu Teschinenti
 II. de Opoliensi
 III. de Ratiboriensi
 IV. de Oppaviensi
 V. de Carnoviensi
 VI. de Munsterbergensi
 VII. de Nissenfi
 VIII. de Olsnensi
 IX. de Svidnicensi
 X. de Jauroviensi
 XI. de Bregensi
 XII. de Lignicensi
 XIII. de Wolaviensi
 XIV. de Glogoviensi
 XV. de Saganensi
 XVI. de Crosnensi
 XVII. de Comitatu Glacensi
 XVIII. de sex Dynastiis, Pleffenfi, Wartenbergensi, Milicensi, Trachenbergensi, & Bythoniensi utraque.

ejusque Dominis ac
urbibus.

Exemplo aliquo superius delineata nunc erunt declaranda. Ubi quidem integrum caput cum suis membris huc transferemus; ex Annotationibus vero eastantum, quæ §. X. illustrent,

strant, excerpemus, ne reliquarum amplitudo præfixam mensuram excedat. Sit ergo

Seçt. I. Cap. XIV. De Scriptoribus Heraldicis.

§. I.

Genealogicis scriptoribus affines sunt Heraldici, qui Arma atque Insignia Nobilitatis vivis quasi coloribus depingunt, ipsorumque jura atque origines evolvunt. Horum nonnullos ipsa quoque Silesia genuit: reliqua huc pertinentia ab exteris sunt petenda.

§. II.

Primas hic tenent Libri Armoriales, vulgo *Wapen-Bücher* *Johannis Siebmacheri*, & *Wolffgangi Gottlieb Fürstii*, qui magno numero Silesiorum signa gentilitia repræsentant.

§. III.

Silesiæ, ejusdemque Principum Insignia vix quisquam accuratius descripsit *M. Godofredo Dewerdeckio* in Silesia Numismatica.

§. IV.

Ex antiquioribus *Bartholomeus Paprocius* Insignia Equestria Poloniæ & Moraviæ, quibus etiam non pauca Silesiorum continentur, singularibus voluminibus vulgavit.

§. V.

Post hunc *Simon Okolskius* Orbem Polonum condidit, non minus Silesiorum Insignibus conspicuum.

§. VI.

§. VI.

Ex Silesiis primus ad hæc studia animum appulisse dicitur *Adamus Wittichius*, speculo Nobilitatis Silesiacæ, vel potius Operis istius seu Prodroino, seu titulo tantum notus.

§. VII.

Primum ergo Nostratum, qui aliquid operæ in has literas contulit, merito dicimus *Fridericum Luca*, cujus Chronicon descriptionibus Insignium equestrium bene multis refertum est.

§. VIII.

Sed operosius id egit Reverendiss. Crucigeror. Magister, *Michael Josephus Fibiger* in scholiis ad Nicolai Henelii Silesiographiam Renovatam.

§. IX.

Pari modo *Johannes Sinapius* familiarum Ducatus Olsnefis, sed quarum nomina alii quoque Principatus Silesiæ sibi vendicant, arma gentilitia exposuit.

§. X.

Idem faxum jam ante volverat *Abrahamus Hermannus* in Praxi Heraldico-Mystica.

§. XI.

Huc referenda Historia sigillorum, qua quidem hæctenus caruit Silesia: nunc autem spes est, fore, ut ea quoque opera Viri eruditi aliquando lucem publicam videat.

§. XII.

Particulares Insignium explicationes, brevibus Epigrammatibus

matibus inclusas, hic omittimus, cum earum aliquem numerum inire velle, maximi utique res laboris foret.

Annotationes ad §. X.

Hermannus patriam agnoscit Vratislaviam, ubi natus an. 1635. d. 6. April. Post academica studia an. 1662. pastor factus Caroschkiensis, & an. 1664. Maslensis. Decesit an. 1705. d. 2. Junii æt. 71. minist. 42. conjug. 25. Uxorem habuit Annam Mayeriam, ex qua decem liberos suscepit. Variis scriptis theologis clarus, quorum catalogum & vitæ curriculum recenset filius atque successor *Leonbardus David Hermannus* in Maslographia Part. III. Cap. VI. p. 281. & longe uberius in Trecentifolio Homiletico hujus Abrah. Hermanni, post præfationem.

Ejus Praxis Heraldico-Mystica scriptum est partim Historicum, partim theologicum, hinc & methodo & sine a cæteris scriptis heraldicis diversum. Eum enim observavit morem Autor, ut primo Insigne aliquod suis imaginibus & coloribus describat, deinde familiæ ortum, incrementa, fata ac merita evolvat, adhibitis documentis satis probatis, optimisque scriptoribus heraldicis: postea imagines atque colores ad usus sacros transfert, ita ut iisdem alludat vel ad virtutes, vel natiuitates, vel matrimonia, vel obitus. Finis erat duplex, partim ut animæ nobiles inspectione scuti gentilitii ad spiritualem nobilitatem assequendam excitarentur; partim etiam ut novelli concionatores apparatus argumentorum homileticorum, conficiendis sermonibus baptismalibus, nuptialibus atque parentalibus idoneum haberent. Occasionem edendi operis præbuerant explicationes Pericoparum evangelicarum, annua methodo ductu insignium equestrium an. 1685. instituta. Vid. Præfat. Part. I. præfixa, & ejusdem Trecentifolium Homilet. p. 8.

Tripartitus est liber, sed duæ partes tantum sunt editæ. Pars prior prodiit Bregæ an. 1699. in 4. explicans XV. insignia scil. Dominorum de *Kreckwitz, Koetkritz, Salisch, Diebitzsch, Feilitzsch, Pritzwitz, Falckenbayn, Kanitz, Kottulinsky, Schlichting, Borschnitz, Niebelschütz, Hoerning, Kreischar, Koch.* Pars altera edita ibidem eadem forma an. 1700. exhibet Insignia

Insignia XVII. Dominorum de *Nimisch, Franckenberg, Gelborn, Kintitz, Seidlitz, Braun, Gersdorff, Sigroth, Schelija, Tschammer, Kessel, Heugel, Robr, Kottwitz, Studnitz, Pogrell, Kojchenbar.* Tertia pars inedita recenset X. Insignia Dominorum de *Skrubensky, Zedlitz, Skal, Bilitsch, Postolsky, Sack, Noftiz, Posadowsky, Abschatz, Haugwitz & Rechenberg.* Notandum tamen, meditationes super Insignia primæ partis excusa fuisse conjunctim, & indivulso nexu; sed cum postea prærogativa nonnullorum odium parere videretur, in parte altera singula Insignia cum suis meditationibus partim Bregæ, partim Olsnæ seorsim sunt publicata, quæ deinde titulus generalis conjunxit, relicta cuilibet libertate, quocumque ordine ea compingi curaret. Vid. Præfat. Part. II.

Atque hoc Catone, Benigne Lector, contentus esto, unde sine dubio constare tibi existimo institutum Autoris: qui, cum exactam Bibliographiam scriptorum omnium, quæ Historiam constituunt Silesiacam, conficere instituerit, quo limatior aliquando appareat liber, communicato cum aliis consilio, in dubiis ignotisque rebus, eorundem libenter stabit iudicio.

IV. MANTISSA L. Manuscriptorum.

VT scilicet iis, qui aliquem materiæ defectum ominabantur, istaque Miscellanea proxime a termino suo abesse judicabant, scrupulum eximerem; Semi-Centuriam hanc MStorum adjiciendam putavi, quæ simul doceat, otium, non materiem scriptionis deficere. Integram quidem Centuriam congerere animus erat; sed ne anxie nimis, ad complendum numerum, scriptores undiquaque coacervasse videar, in semisse acquiescere malui: quæ si perlustranda mihi relinquitur

tur atque recensenda, fatis puto me habiturum, quod subsecivis horis agam. MStorum vero qualicumque ordine digestorum Catalogum hunc habento:

1. Jacobi a Saltza Silesia.
2. Joh. Henr. Cunradi Silesi-Poliographia.
3. Anonymi Annales breves Silesiaci.
4. Martini Hankii Compendium Historiæ Silesiacæ.
5. Ejusd. Res Silesiorum seculo XVII. notabiles.
6. Henrici III. Ducis Vratisl. Jus Provinciale Silesiacum.
7. Anon. Vita Thomæ I. Episcopi Vratisl.
8. Historia Diffensionum inter Ducem & Episc. Vrat.
9. Acta litigiorum inter Episc. & senat. Vrat.
10. Eleazaris Tilefii Genealogia Ducum Lygio-Bregens.
11. Joachimi Rungii Geneal. Ducum Lyg. Breg.
12. Henr. Bleuelii Geneal. Ducum Olsnensium.
13. M. Georgii Kirstenii scripta genealogica Olsnensia.
14. Joh. Heinnizii Tabula genealogica Ducum Olsnens.
15. Abrah. Frid. de Sebottendorff Genealogia Sebottendorffia.
16. Ej. Geneal. familiæ Sweerziæ.
17. Abrah. Hofemanni Geneal. familiæ Reichenbachia.
18. Adami Wittichii speculum Nobilitatis Silesiacæ.
19. Fisci Regii apud Silesios Instituta.
20. Statuta Ducatus Glogani.
21. Mart. Crumkrügeri Dubia circa Privilegia Glogoviensia.
22. Georgii Schoenborneri libera Viadri Navigatio.
23. Anon. Demonstratio quod Oppavia Ducatus sit pars Silesia.
24. Dan. a Czepco Synopsis Ducatum Suidnic. & Jaurov.
25. Isleri Annales Suidnicenses.
26. B. Fabri Chronicon Jaurinense.

27. Mart.

27. Mart. Koblicii Annales Francoftenenses.
28. M. Casp. Wencelii Goldberga.
29. Matthiæ Machneri Inscriptiones Silesia.
30. Henrici Grosfii Silesia & Lusatia &c. sidera.
31. Sebast. Alifcheri Elogia Eruditor. Boleslav.
32. D. Geo. Ant. Volckmanni Oryctophylacium Silesia subterranea.
33. Joh. Mehbas Annales Vratisl.
34. Ant. Pausii Liber de Vratislavia.
35. Andr. ab Affieg & Siegersdorff Annal. Vratisl.
36. Privilegia Ecclesie Vratislaviensis.
37. Jodoci Abbatis Chron. Monast. B. Virg. Mariae.
38. Acta Reformatorum tempore Frid. Palat.
39. Christ. Recht Treu Palma oppressa & revirescens.
40. Elia Freudenberg Encomium Vratisl. rhythmicum.
41. D. Joh. God. Baronis Insignia Urbis Vrat. *
42. M. Casp. Sommeri Silesia Pia, & reliqua quæ sequuntur:
43. Historia Ecclesiastica Vratisl.
44. Hist. Scholarum Vrat.
45. Annotat. ad Henr. Grosfii sidera.

P 2

46. Hist.

* Alia ejusdem affecta opera sunt: Tribonianus Silesiacus; de Silesiorum Gerada; Morgengaba; Heergewetta; Balneis sacris; S. Petri Denario; de sepulcralibus Monumentis & marmoribus Ducum Silesia loco mutatis, penitusque remotis, & ad profanos usus applicatis, insignique Historiæ patriæ damno, ex ipsorum jaçtura redundante; Silesia conversa; Museum Silesiacum s. Bibliographia Historicorum Silesia; von den Schlesiſchen Wapen, Kleidern; Historia Ducum Vratislaviensium ex Marmoribus, sigillis & aliis monumentis vindicata & illustrata; Historia Episcoporum Vratisl. tali modo illustrata; de Titulis atque prærogativis Ducum Silesia; de Castris & Castellanis Silesia &c.

46. Hist. Silesiæ sec. XVII.
 47. Exstinctæ familiæ Ducum Siles.
 48. Concionatores Evangelicorum *πρόσκαιροι.*
 49. Chron. Tschirnense.
 50. Opuscula varia, vicenarium numerum excedentia, quorum Nomina hæc sunt: Silesia Pagana, Teutonica, Silesiaca, Ungarica, Bohemica, Polonica, Turbata, Restaurata, Extra Silesiam, Liberalis in Literas & Literatos, Reformato-Calviniana, Catholico-Romanensis, Evangelico-Lutherana, Austriaca, Togata, Sagata, Laboriosa, suis vitiis laborans, Aquosa, Montana, Populosa, Afflicta, & tandem Dissertationes Quado-Marcomanicæ.

Quam sub finem Specim. III. de recudendis Rhonii Opusculis fidem dedi, ut aliquando liberem, vix amplius urgeri posse puto, cum ferias mihi fecerit Joh. Herb. Klofius, Bibliopola Lipsiensis, qui sat multa primæ unicæque editionis exemplaria in lucem revocavit, non novis quidem typis, sed titulis tantum mutatis, quæ, omisso Autore, generali nomine inscripsit: *Memorias Rerum Silesiacarum &c.* ipsa vero opuscula, quæ vel Exercitationis, vel Epistolarum nomine veniebant, in fasciculos quatuor distinxit, & Epistolam de Historia numismatica Episcoporum promovenda, præfationis locum occupare jussit: quibus harum rerum curiosis satisfactum esse arbitror. Rhonii vero scriptores quosdam iterata recensione a me productum iri, quod ibidem recepi, nunc quoque affirmo; quorum tamen nomina ab isthoc quinquagenario numero abesse volui, ut qui ignoti esse nequeant.

EMENDANDA.

Spec. II. p. 33. l. 16. pro: Euch leg. Rus. Spec. III. p. 58. l. ult. post interesset, leg. haud interruptam &c.



Konserw. i oprawę wyk.:

Krystyna Opala

(438)



